
4311

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/petrilasenaicnea00lase

PETRI
LA SENA
I. C. NEAP.

CLEOMBROTVS,
Siue
De ijs, qui in Aquis pereunt,
PHILOLOGICA DISSERTATIO.



ROMAE, Typis Iacobi Facciotti.
M. DCXXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISS.MO ET REVEREND.MO

PRINCIPI

FRANCISCO

CARD. BARBERINO,

S. R. E.

VICECANCELLARIO,

ET

VRBANI VIII. FRATRIS FIL.

Petrus la Sena Fel.

NON erunt obſcura, neque irrita, Eminentiſſime Princeps, quæ ipſe in me contuliſti; licet tenuitate mea nonnihil è ſplendidiſsima illa amplitudine videantur amittere. Inſignem hanc tuam munificentiam pectoris tegumentis diù tenere ſepultam non patiar. Cùm me

Romam, communem Patriam, recepiſſem, poſtquam, & verbo, & facto humaniſſimè exceperas, opem mihi tuæ benignitatis pollicitus, vnum Te meis ſtudijs patronum, ac defenſorem vehementer optaui: quod mihi, ita rem Numine fortunante, ex animi ſententia, nec infauſtè, contigit: tali enim patrocinio, quaſi alis ex humo ſublatus, potiora, ni fallor, quàm vnquam ipſe ſperaram, meditari, maiora concipere, & nobiliora meis viribus, atque ingenio excludere potui. Tuum eſt, ſi quid ſolito præclarius ſplendet in opere; meum, ſi quid adeò pertinax tanto lumine non inclaruerit. Inter ea non poſtremus habebitur hic meus, qualis ille fuerit, Cleombrotus, qui, amore immortalitatis, mortem amplexus, præcipitem ſe egit in aquas. Hinc Diſſertatiunculæ ratio, de ijs nimirum, qui in Aquis pereunt, ex antiqua Philoſophorum, & Gentilium Schola ratiocinandi, ſumitur; in eaque omnia ad Chriſtianam veritatem rediguntur. Incommoda planè, nec alijs calcata via; quam tamen ingenium, tuis

au-

auſpicijs, inire non refugit; & ſentibus errorum expurgatam cuiq; calcandam ſine offenſione proponere. Labor hic, quando Te monitore ſuſceptus eſt, ideoque tuus, iniquam optimè merenti referret gratiam, niſi gratus ad Te recurreret. Equidem illud hìc ſine controuerſia, ac iure profitear, quidquid in eo eſt, totum eſſe, & tuæ beneficentiæ, & meæ erga tam inſignem humanitatem obſeruantiæ monumentum. Vale, Princeps optime, & Purpuratorum decus.

Elenchus Librorum

PETRI LASENA.

Editi.

1 Vergati, *Italica lingua. Neapoli, in 8. apud Io. Iacobum Carlinum. Anno* 1616.

2 *Homeri Nepenthes, in 8. Lugduni, apud Ludouicum Proſt. Anno* 1624.

3 *Cleombrotus, ſiue De ijs, qui in Aquis pereunt, Philologica Diſſertatio, Romæ, in* 8. *apud Iacobum Facciottum. Anno* 1637. *Opus medio—poſthumum.*

Perfecti, Affectique.

1 *De lingua Helleniſtica, Diſsertatio, Eminentiſſimo Cardinali Barberino, quo iubente in Academia Baſiliana perorauerat, ab ipſo Auctore inſcripta, & conſignata.*

2 *Hiſtoria Gymnica, ſeu de Gymnaſio Neapolitano, Italico ſermone; quam ab Eminentiſsimo* Brancatio, *cuius eam fidei Auctor teſtamento commiſerat, propediem edendam expectamus.*

3 *In-*

3 *Interpretatio ad l. Cætera. De Legatis.*

4 *De Phratrijs Græcorum.*

5 *De Rinthone, & Rinthonicis fabulis.*

6 *Architæ fragmenta, cum Notis.*

7 *De Hebone.*

8 *De Figlina Romanorum.*

9 *De Salapusijs.*

10 *Dell'Impreſe Poetiche.*

11 *Academia Pontani, ſiue Clarorum Virorum, qui in litteris, vnà cum Ioanne Iouiano Pontano, Neapolim illuſtrarunt, Elogia.*

Opus, quod inſcripſerat, Vergati, *& Homeri Nepenthes, multis quà additis, quà immutatis, meliora fecerat, eaque nouis typis addixerat.*

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs.P.Mag.Sacr. Palatij Apoſt.

A.Torniellus Viceſg.

PEtri la Sena Cleombrotus, ſiue De ijs, qui in Aquis pereunt, Philologica Diſſertatio, arbitratu Reuerendiſsimi P. Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, à me perlecta, nihil habet, quod Fidei, aut morum candori fucum faciat, dum candorem præfert eruditiſſimæ ſcriptionis: eam ſanè, quòd Ethnicarum opinationum æſtu iam olim abreptam veritatem ex aquis eruat, atque in luce ponat, digniſsimam cenſeo, quæ, præli beneficio, poſteritatis obliuione non obruta, ingeniorum in luce viuat. Romæ. die 21. Iunij. 1636.

Gaſpar de Simeonibus.

Imprimatur,

Fr.Nicolaus Riccardius, Sac. Pal. Apoſt.Mag.





Obijt Romæ 3. nonas 7b. 1636.

M. Gr. f.

P. la Sena I.C.

CLEOMBROTVS,

Siue

DE IIS QVI IN AQVIS PEREVNT PHILOLOGICA DISSERTATIO.

****

Occaſio ſcribendi, & Argumentum. Cap. I.

Naufragium Neapolitanæ claſsis in Liguſtico mari. Academia ſacro Græcæ litteraturæ apud Baſilienſes. Acrius in Vrbe linguæ Græcæ ſtudium excitatum.

QVO die ſtudioſorum Virorum cœtus, felici auſpicio, in ſacra Baſiliana æde cogi cœpit; & plurimorum Eminentiſsimorum Principum præſentia, ex eodem loco in Græcæ linguæ laudes, atque nuperi cuiuſdam inſtituti, ſacram Græcamq; litteraturam promouendi, quà Græcè, quà Latinè peroratum fuit: cùm nuncius aduenisſet in Vrbem, & claſſem Neapolitanam, miſeſerabili ad oras Liguſtici maris naufragio, iiij kal. Maias 1635.

magna ex parte interijſſe affirmaret; iteratiſq; deinceps tabellarijs, vndiq; caſus acerbitas explicatiùs ſignificaretur; humanum reputans humanis caſibus ingemiſcere, & qua erga nobiliſsimam Patriam caritate deuincior, intimo fixoque mœroris ſenſu condolui. Ecquis profectò huius ſæuientis, & inſanientis tempeſtatis non formidatum, nec pertimendum ictum, ita tamen grauiter, atque immaniſsimè illatum, haud miſeratione proſequendum cenſuiſſet; & commiſerari adhuc non debeat, qui animo ſecum voluat, tot ciuium, tot cariſsimorum hominum interitum; tam horribile mortis genus, & quod deteſtandum eſt Chriſtianis viris, tam imparatum, tam repentinum; inſepultorum corporum iactationes, & marinis belluis depaſcenda cadauera; atque cum his nauium, armorumque iacturam; abſumptas in copiarum apparatum totius emuncti Regni diuitias; creatamque hoſtibus, non rei fama, ſed ipſo ſpectaculo voluptatem? Exinde igitur nihil aliud in mentem venire potuit, nihil amplius meditari par fuit, quàm huiuſmodi euentus acerbiſsimā calamitatem. Et quamuis Baſiliana illa adhortatione, vel, vt plerumq; fit, ſtudio potiùs de principibus viris bene merendi, ex-

F iii



Aegyptiorumq; erutam monumentis. Nec quæ plurima Zenonis, Platonis, & Pythagoræ ſcholæ, eaque non vulgaris pretij ſuppetere poſſunt, vt deſiderentur efficiam. Et quamuis primo occurſu, ethnicam ſolùm videatur præſeferre ſapientiã, quæ à Chriſtiana veritate longiſsimè abeſt: multa tamen exprimentur à ſacris Auctoribus deriuata, & non niſi ex eorum doctrina, & ad bonũ promouendum, erit Operis concluſio. Accedit præterea, quòd ſemper quid ſacrum, religioſumq; humanis mentibus incutiat, quæcunq; fiat de morte, & animorum ſtatu tractatio.

Homero mortem in aquis dyſthanaton Cap. II.

Synesij laus. Eius nauigatio, & naufragij timor. Homeri loca. De ijs Syneſiana interpretatio. Θάνατος *quid? Quid* ἀπολέσθαι, καὶ ἐξαπολέσθαι; *Callimachi Epigramma expenditur. Aiax minor. Item Aiax Telamonius. Necyomantia Homerica. De ea* S. *Iuſtini Martyris teſtimonium.*

HAnc materiam, vt aggrediar, præbebit dicendi initium magnus ille elegantiarum pater, Cyrenenſis Eccleſiæ Epi-

ſcopus

ſcopus Syneſius : quem non minùs doctrina , quàm ἡ καλοκαγαθία (quod de eo ait Photius) καὶ τὸ καθαρὸν τοῦ βίου, hoc eſt *probatæ vitæ innocentia commendauit* . Nauigabat is, ſecumq. in eadem naui, præter remiges , vectores erant ſupra quinquaginta , & ex Bendidio ſoluens , cùm Cyrenem Pentapolis , propè Aegyptum poſitam vrbem , contendens , iam è conſpectu Alexandriæ exijſſet , & animo feſtinaret ad portum ; continuò exorta tempeſtate , ſe in maximum diſcrimen adductum agnouit : & cùm vitæ deſperare cœpiſſet, eum τὸ Ὁμηρικὸν, vt ipſe ſcribit, ἐθορύβει ἐκεῖνο, μὴ ἀληθὲς εἴη τὸ καθ᾽ ὕδατος θάνατον ὄλεθρον εἶναι καὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς. hoc eſt. *terrebat & illud Homericum, ne fortè verum eſſet , mortem in aquis præfocatorum ipſius etiam animæ eſſe interitum* . Et quod hoc docuerit Homerus ; lethum ſcilicet quorūcunq; in aquis decedentiū , mortē conſequi animarū; adhibito Poëtæ teſtimonio, non vnico ſignificauit argumento. Primum eſt , quòd cum hic omnis ſapientiæ magiſter Homerus perperam nunquam ſit locutus: iſtud à cæteris mortis generibus diſtinguens, diuerſas, diuerſarumq; viriū voces adhibeat . Siquidem de Aiace Oilei, in mari vita functo , τοῦ ἐξαπολέσθαι nec vnquā alibi,

Phot. in Syneſ.

Syn. epiſt. 4

Hom. Odyſſ Δ. in aliorũ nece hoc vtitur verbo, dũ inquit,
Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ.
Diſperijt ſalſis epotis fluctibus Aiax.
at in alijs, ἀνελεῖν, καὶ θανεῖν vſurpat, aut quæ alia verborum genera, vt cum Plutarcho dicam, μεταβολὴν ὄντα τῆς ψυχῆς, οὐ φθορὰν τὸν θάνατον. *mortem non interitum, ſed mutationem ſignificant animæ euenĩẽtẽ.* Ανελεῖν enim ex Euſtathio δοκεῖ δηλοῦν τὸ ἄνω εἰς ὕψος ἑλεῖν τὸν θανόντα ἄνθρωπον. καὶ θανεῖν. τὸ θεῖν ἄνω ἢ ἀνάπαλιν γένεσιν, τὴν εἰς γῆν νεῦσιν. indicans Poeta hoc diſcrimine τὸν ἐν θαλάττῃ θάνατον. vt ſubdit Syneſius ἀκριβεστάτην ἀπώλειαν εἶναι. *mortem ſcilicet in aquis ſummum eſſe omniũ exitium*, & ſupremam totius hominis perditionem. nec aliter capi hoc verbum meminit idem Interpretum Princeps Euſtathius: qui ad illud Iliad.

(Plut. non poſ. ſuau. viu. ſec. Epicur. — Euſtath. in Iliad. — Ethim. Magn. in θάνατος. — Syn. ibid. — Iliad. Σ.)

Νῦν δὲ δὴ ἐξαπόλωλε δόμων κειμήλια καλά.
τὸ δὲ ἐξαπόλωλε, inquit, τέλειον ἀφανισμὸν δηλοῖ. ſubditq; rationem διὰ τῆς ἐπιτατικῆς ἐξ προσθέσεως, propter particulã ἐξ, quæ intentionem ſignificat.

(Euſtath. ibid.)

Nec obijciendum erit quòd ſolummodo in Syneſio habeatur hæc vox ἐξαπόλωλεν, cùm in excuſis libris omnibus ἀπόλωλεν. apud Homerum legatur: & hanc lectionem ſit ſecutus Euſtathius. Quamobrem cùm ratio-

tionem ſuæ interpretationis loco à nobis laudato ad particulam ἐξ referat, atque coarctet: erit fortaſſe, qui Syneſij expoſitionẽ, vel vitioſam iudicet, vel ſatis dubiã. At idẽ in Poeta ſenſus, eademq; verbi vis, ſiuè ἐξαπόλωλεν, ſiuè ἀπόλωλεν retineatur. Adſcribã, vt hic Homeri verſus illuſtretur, Callimachi elegantiſsimum Epigramma, & vna opera Cyrenenſi philoſopho Cyrenenſis poeta facem præferat. Callim. epigr. 23.

Νάξιος οὐκ ἐπὶ γῆς ἔθανεν Λύκος ἀλλ' ἐπὶ πόντῳ.
  Ναῦν ἅμα, καὶ ψυχὴν εἶδεν ἀπολλυμένην.
Ἔμπορος Αἰγίνηθεν ὅτ' ἔπλεε· χὼ μὲν ἐν ὑγρῇ
  Νεκρός. ἐγὼ δ' ἄλλως οὔνομα τύμβος ἔχων.

Naxius in terra haud periȷt Lycus, at mari in alto;
Abſorptam ſenſit nauim animamq: ſimul:
Aeginam ob merces dũ nauigat ipſe procellis
Voluitur. ac tumulus nomẽ inanis habet, &c.

Latinam Vulcanij huius epigrammatis verſionem, quis non deficientem agnoſcet? cum neq; vis vocis ἀπολλυμένην rectè exprimatur, nec Homeri iſthæc de animorum interitu obſeruantia ſuboluerit Interpreti: ad quam tamẽ manifeſtè alludit Callimachus, imò clariùs, quàm Homerus expreſsit; τῷ θανεῖν, ad communem ſeparationem animæ à corpore ſignificandam vſus; at de particu-

lari ipſius animæ interitu περὶ ἀπολέσθαι, inquiens, καὶ ψυχὴν ἄιδι ἀπολλυμένην: quod ad verbum, *& animæ paſſus eſt exitium*. Hæc earumdem vocum vis, & differentia ex alijs Auctoribus deprehenditur; ſed cùm aptioribus in locis remaneāt obſeruanda, hìc conſultò omittimus.

Syneſ. ibid Nunc iterum ad Syneſium: qui alteram ex Homero, & maioris roboris probationem afferens, aduertit, quos non in aquis defunctos, ſed θανόντας, θνήσκοντας, poeta dicit; eorum omnium animas apud inferos dilabi: idque conſueta quadam dicendi formula, ſemper affirmare.

ἄϊδός δὲ βεβήκει.

ψυχὴ δ' ἄϊδός δὲ κατῆλθε;

& ſimilibus, quæ paſsim in Poeta occurrunt.

At de Aiacis fato loquens, ne dum iſtud non vſurpare, ſed inſuper, cum in tranſcurſu poematis bis inferorum manes recenſeat, nunquam de eo haberi mentionē. Siquidem Vlyſses conſulturus Tireſiam apud Cimmærios, in loco ab Circe demonſtrato, ſacrificans, & ſacris ritè peractis; ad ſanguinem mactatarum hoſtiarum animas mortuorum euocauit: quarum examina in ordinem redigens Poeta; ſponſas, virgunculas, iuuenes, ſeneſq; memorat; at dum viros recenſet, genus

nus mortis, vt non vno verbo, ſic non abs re meminiſſe videtur.

Πολλοὶ δ᾽ οὐτάμενοι χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν Hom. Odyſſ. Λ.

Ανδρες ἀρηΐφατοι, βεβροτωμένα τεύχε᾽ ἔχοντες.

Plures autem vulnerati haſtis ferreis

Viri bellicoſi cruenta arma habentes.

Deinde, cùm Mercurius Procorum animas in Erebum deducit, qua occaſione Græcorum manes, accuratè recenſentur. ὁ μικρὸς Αἴας, vt Syneſianis dicam verbis, οὐδαμοῦ τοῦ δράματος εἰσάγεται, ὡς τῆς ψυχῆς οὐκ οὔσης ἐν ᾅδου. *nuſquam minoris Aiacis anima, toto dramate inducitur, quaſi apud inferos non exiſtẽs.* Quippe Aiacem illum de quo vtrobiq. acta mentio, non hunc, ſed *meliorem* (ita vocante Seneca) & Telamonium eſſe, vel Platonis, & Plutarchi teſtimonijs conſtat: apud quos curioſè, cur vigeſimam à ſortitione ad delectũ veniſſe Aiacis huius animam inueſtigatum. Quamobrem conſultiſsimus Poeta peculiari deſcriptione ſemper diſtinguit; ibi

Odyſſ. Ω. Syneſ. ibid. Senec. Trag. Agamen. Plat. 10. de Repub. Plutarc. Symp. lib. 9. probl. 5.

Αἴαντος ψυχὴ Τελαμωνιάδαο, Odyſſ. K

Aiacis anima Telamonidæ

expreſsè habens; hìc de eo loqui affirmans,

—— ὃς ἄριστος ἔην εἶδός τε, δέμας τε Odyſſ. Ω

Τῶν ἄλλων Δαναῶν.

Qui optimus erat ſpecieque, corporeque aliorum Danaorum:

quo

quo elogio, & alibi non niſi hunc Telamonium ornauerat: quod etiam ab Euſtathio adnotatum. Nec apud Lucianum in ijs Dialogis, in quibus mortuos facit colloquentes, alius, quàm Telamonius, qui idem μαστιγοφόρος dictus, ſumpto, velut ex Sophoclis Tragœdia argumento, inducitur. Hanc meritò maioris ponderis probationem diximus. nam inſignis doctrina, & martyrij laurea ſanctus Iuſtinus, obijciens Antonino Pio, cui ſecūdam pro Chriſtianis defenſionem inſcribit, duraturum poſt mortem animorum ſtatum, ab huiuſmodi Homerica Necyomantia, tamquam validiſſimū ſumpſit argumentum; quod ſi ſapientiæ adſcribitur à ſapientiſsimo viro ὁ παρ' Ὁμήρῳ βόθρος, vt ipſe inquit, καὶ ἡ κάθοδος Ὀδυσσέως εἰς τὴν τούτων ἐπίσκεψιν, καὶ τῶν τὰ αὐτὰ τούτοις εἰπόντων. h. e. *Homeri puteus, & Vlyſsis horum inſpiciendorum gratia ſuſceptus deſcenſus. atque eorum inſuperq; ſermones, qui eadem cum iſtis narrarunt*; profectò hanc differentiam ex genere mortis, ijſdem in locis agnitam Poetæ ignorationi, & fatuitati haud ex facili tribuere quiſquam debet.

Luc. Dial.

S. Iuſtin. Martyr. pag. 65.

Ratio

Ratio è Stoicorum Philoſophia exprompta. Cap. III.

Stoici quid de anima ſenſerint. Diagrãmate eorum opinio expreſſa. Aiacis Oilei interitus apud Senecam. Mors eorum, qui ſub ruinis opprimuntur. Statius Papinius declaratus. Aeuitas animorum ſecundum Stoicos, ex genere diſſolutionis à corpore indicata. Aiax Dijs inuiſus. Mors illi, in pœna: & in eius ſocios, ob vindictam Numinis deriuata. Cicero. & Horatius illuſtrantur. De vltione in Gygantes, ϰ̀ περὶ κατακλυσμȣ̃ fabularum origo. In Biblijs, cur impij dicent montibus, πέσετε ἐφ' ἡμᾶς; Emblema de Arione ex veteri numo. Ratio cur Homero mors in aquis δυϑάνατος; Inſigne Plutarchi de ea re teſtimonium.

QVam ob rem vt Cyrenenſis Antiſtitis dicta, & quæ infrà dicturi ſumus, illuſtriora reddantur, operæ erit pretium ſcire, cui rationi illud Homericum innitatur commentum. Et quidem à Philoſophis, qui rerũ cauſas ſibi inquirendas ſtatuunt, petere debemus. Cumq; omnes ab Homeri poeſi, velut ex hoc vno, vt aiunt fonte, philoſophorũ ſectæ manauerint, multum ei quæ deinceps Stoica dicta eſt, acceptum referre debet. Verùm enimverò inter Stoicorum philoſopho-

pho-

phorum documenta, de hominis anima, nonnulla perhibentur: quæ & ſi rectè ſentientibus deliramenta videri debeant, pro ijs tamen quæ dicenda ſunt, clarè intelligendis, vt ea breuiter percurram, neceſſe eſt.

Putabant Stoici, nihil præter ignem animam eſſe: & hanc ſententiam eis tribuit Cicero, cuius hæc ſunt verba. *Omnia veſtra, Balbe, ſolent ad igneam naturam referre, Heraclitum opinor ſecuti, quem ipſum non omnes interpretantur vno modo. Vos autem ita dicitis, omnem vim eſſe ignem; Itaque & animantes, cum calor defecerit interire, & in omni natura rerum id viuere, id vigere, quod caleat.* Huic igni aërem quoque admiſcent, atque adeo harum rerum cum proportione temperaturam, & non aliud, ſubſtantiam animæ eſſe definiunt. hoc eſt, ex Galeni verbis, κρᾶσιν ἐν συμμετρίᾳ γιγνομένης τῆς ἀερώδους καὶ πυρώδους οὐσίας; hinc Phurnutus αἱ ἡμέτεραι ψυχαὶ πῦρ εἰσι. *noſtræ animæ ignis ſunt*. Porrò & ab ipſis auctoribus huius hæreſeos præſtantioribus Zenone Cittiæo, Antipatro, & Poſidonio, animam πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι. hoc eſt *calidũ eſſe ſpiritum*, vt Laërtius refert, olim pronunciatum: atque adeò inter placita, illud, ijſdem verbis meritò accenſuit Plutarchus. Corpus itidem fuiſſe animam, ex eodẽ Ze-

Cic. 3. de Nat. Deor.

Galen. Quod animi mor. ſeq. ſemp. &c.

Phur. de Dijs.

Laert. in Zenone.

Plutarc. de Placi. lib. 4. c. 6.

Zenone haud tacuit Laertius. τὴν δὲ ψυχὴν αἰσθητικήν, ταύτην δὲ εἶναι τὸ συμφυὲς ἡμῖν πνεῦμα, διὸ καὶ σῶμα εἶναι. *animam verò ſentiendi vim habere, aiunt, eamq; ſpiritum eſſe nobis innatum, quamobrem, & corpus eſſe.* Sed tenuiſsimum, & vt Chryſippus dicebat ἀραιότερον καὶ λεπτομερέστερον. De hoc igne alibi idem Cicero. *Hominibus animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera, & ſtellas vocatis.* Id etiam Stoicorum maximus inter Latinos Seneca habet. *Homini,* inquiẽs, *diuini ſpiritus eſſe partem, ac veluti ſcintillas quaſdam aſtrorum in terris deſiluiſſe, atq; alieno loco hæſiſſe.* Ita hunc locum expreſsit Lipſius, apud quẽ plura de hac materia: quæ cùm in promptu omnibus ſint, non repetam. De æuo autem animæ, aliquid tangam; cum ad rem noſtram ſummopere etiam pertineat: & vt denuò Ciceronis verba vſurpem. *Stoici,* inquit, *vſuram nobis largiuntur tanquam cornicibus diu manſuros aiunt animos; ſemper, negant.* Idem Stoicorum Coryphæum docuiſſe Laertius ſcribit. τὴν ψυχὴν μετὰ θάνατον ἐπιμένειν, φθαρτὴν δὲ εἶναι. hoc eſt *animam à morte permanere, mortalem tamen eſſe.* Appoſuit aliquid aliud huic opinioni antiquitas: quod ad proprios Auctores referens, addidit etiam Laertius: hoc eſt putaſſe quidem Cleanthem πάσας

Laert. in Zenone. Chryſip. apud Plutarch. Cic. in Somn. Scip. Senec. de vita Bea. c.32. Lipſ. de Phyſiol. Stoic. lib.3. c.8 & 9. Cic. 1. Tuſc. Laert. in Zenone. Laert. ibid.

ἐπιδιαμένειν τὰς μέχρι ἐκπυρώσεως: *omnes animas tantiſper* (poſt mortem) *permanere donec*(mundus) *exarſerit*.Chryſippus verò ſolas ſapientum τὰς τῶν σοφῶν μόνων. Hinc apud Plutarchum in Placitis. Οἱ στωικοὶ ἐξιοῦσαν τὴν σωμάτων ὑποφέρεσθαι τὴν μὲν ἀσθενεστέραν ἅμα τοῖς συγκείμασι γίνεσθαι (ταύτην δὲ εἶναι τῶν ἀπαιδεύτων) τὴν δὲ ἰσχυροτέραν οἷα ἐστὶ περὶ τοὺς σοφούς, καὶ μέχρι τῆς ἐκπυρώσεως. *Stoici exeuntem animam è corpore ſimul cū concreto interire, eam ſcilicet quæ ſit imbecillior, quales ſunt inerudi- torum animæ. Validiores quales ſunt ſapiētū, durare vſque ad flagrationem* . Alia cōgerit Lipſius,& præ cæteris illud Taciti. *Si vt ſapientibus placet non cum corpore eſtinguūtur magnæ animæ:*& ſcitè admodum ſubiungit, *Nota , magnas ; minutæ igitur,& fatuæ pereunt , aut non diù manent*; alia etiam non publici ſaporis cap. 5. huius Diſſertationis à me producentur.

Plu. ibid. cap. 6

Tacit. in Agric.

Lipſ. de Stoic. Philoſoph. ibid.

Hæc non ad Chriſtianæ ſapientiæ præſcriptum monui, imò , & ſanioris doctrinæ philoſophis, vt Peripateticis, expreſsè damnata. Sed cùm tamen venuſta ſint , & erudita , ac ſciri ſatis digna; præſtat , vt aliqua non vulgari ſimilitudine à nobis etiam illuſtrentur.

Ariſt. lib. 1. de Anim. cap. 3.

Non eſt hominum puto qui Lucernarium quoddam machinamentum , quod ad nos

Bel-

Belgiũ, ac Germania, regiones huius operis artificum feraciſsimæ, tranſmittere ſæpiùs ſolent, vel oculis non conſpexerit, vel ſaltem aliquando non auditione cognouerit. Sphæra eſt ænea, mole non admodum magna, intus concaua, pertuſa quibuſdam forulis, eòq; artificio concinnata, vt in duas partes, veluti in bina hemiſphæria cõmodè diſiungi poſsit, & in ſuam rotunditatem, facili negotio compaginari. ad oram vnius ex iſtis hemiſphęrijs, mobilis quidã circulus, vel ferreus, vel æneus modicæ latitudinis, duobus fixis aſſeribus circumuoluitur: cui circulo ad diuerſos polos pari artificio ſuſpenditur, libraturq; ſubrotundum vaſculum, quo Vulcanus, non in cornu latens, ſed metallo occluſus circumfertur. Hoc lumen animam dico, & thecam corporis eſſe æneum globũ. Quos deſcripſimus forulos ad ignis reſpiramentum, externi ſunt ſenſus, vnde animus foris elucet. Iactetur vtcũq. hæc ſphæra, lucernula, quæ intus pendet; vt quæ ſeorſim ab illa, & ſuo quodam motu regatur, non eadem iactatione concutitur, nec ſuam lucem cõturbat. Quid ſi diſrumpatur globus? non indè eius lumen extinguitur. vt de eo illud vſurpari poſsit;

Si fractus illabatur Orbis,

Im-

Horat. Od. 3. lib. 3.

Impauidum ferient ruinæ.

Eodem modo animam viuere, & poſt humani corporis fracturam, veluti ſuis proprijs nixam viribus, permanere, nec itidem ſeipſam extinguere Stoici dicerent. Nam cum ex eorum ſententia, aëris, ignisque ætherei ſit particula, in aërem hunc cœleſti ſpiritu calentem recipitur, ac fouetur: & ni in aliud migrauerit corpus ad ſedes ſuas, & ad cognatum ſidus recurrit, *in quo*, vt ſæpiùs Ciceronis verba vſurpem, *nulla re egens alatur, & ſuſtẽtetur ijſdem de rebus, quibus aſtra ſuſtentantur, & aluntur.* Sed quod deeſt orationi, ſub oculos ſchemate ſubijciamus.

Cic. 1. Tuſc.

Typus animæ ſecundùm Stoicos.



Fieri

Fieri tamen poteſt, vt noſter hic Lucernarius globus, ne dum ſuæ molis, ſed luminis etiam patiatur iacturam; ſi aut in aquis deſtruatur, aut magno aliquo pondere preſſus, obtundatur, obruaturq; Idem etiam in anima, ſecundùm *Stoicos*, obtinet. Primum iam ex Homero docuimus; & prolixiùs, vt qui noſtræ Diſſertationis ſit ſcopus, ex aliorum Auctorum teſtimonio explicabimus.

De altero fati genere, duo ſunt loca in vtroq; Seneca, vel, ſi vnicus ſit Epiſtolarum, & Tragœdiarum Auctor, bis hoc idem indicatum voluit. Primũ, vbi in Trag. Agamemn. de eodem Aiace fit mentio: nam, quem Homerus marinis vndis merſum; hic, quod in idem incidit, igne, & aqua priùs petitum, tamdem ſub montis ruina obrutum fingit. Proferendus integrè locus, nam hìc, & deinceps nobis deſeruiet. Senec. trag. Agamem.

Ecce alia clades. Fulmine irati Iouis
Armata Pallas, quicquid aut haſta minax,
Aut Aegide, aut furore Gorgoneo poteſt,
Aut igne patrio tentat; & cœlo nouæ
Spirant procellæ: ſolus inuictus malis
Luctatur Aiax; vela cogentem hunc ſua
Tenſo rudente flamma perſtrinxit cadens.
Libratur aliud fulmen: hoc toto impetu
Tortum, reducta Pallas excuſſit manu,

Imitata Patrem; tranſit Aiacem, & ratem
Ratiſq. partem ſecum, & Aiacem tulit.
Nil ille motus, ardua vt cautes, ſalo
Ambuſtus extat, dirimit inſanum mare,
Fluctuſq; rumpit pectore, & nauem manu
Complexus, in ſe traxit; & cæco mari
Collucet Aiax, omne reſplendet fretum.
Tandem occupata rupe, furibundum intonat,
Superaſſe nunc ſe pelagus, atque ignes; iuuat
Viciſſe cælum, Palladem, fulmen, mare.
Non me fugauit bellici terror Dei.
Et Hectorem vna ſolus, & Martem tuli.
Phœbea nunc me tela pepulerunt gradu:
Cum Phrygibus iſtos vicimus, tandem horreã
Aliena inertis tela mitti dextera?
Quid ſi ipſe mittat? plura cùm auderet furens;
Tridente rupem ſubruit pulſam pater
Neptunus, imis exerens vndis caput,
Soluitq; montem; quem cadens ſecum tulit,
Terraq; & igne victus, & pelago iacet.

Alter inſignis eſt Senecæ locus. *Quid intereſt*, inquit, *vtrùm ſuper aliquem vigiliarium ruat, an mons, an turris? erunt tamen, qui hanc ruinam magis timeant, quamuis vtraq. æquè mortifera ſit. Nunc me putatis de Stoicis dicere, qui exiſtimant animam hominis magno pondere extriti permeare non poſſe, & ſtatim ſpargi, quia non fuerit illi exitus liber.* (Sene. epiſt. 57.)

In-

Indicauit hoc Statius Papinius, Ciuis meus, qui, vt ſublimitate dicendi, ſic abſtruſioris doctrinæ laude eminet, cum de auri ſcrutatore loquitur. Stat. Theb. 6.

—— haud aliter collis ſcrutator Iberi,
Cùm ſubijt, longeq; diem, vitamq; relinquit,
Si tremuit ſuſpenſus ager, ſubitumq; fragorem
Rupta dedit tellus: latet intus monte ſoluto
Obrutus, ac penitus fractũ, obductumq; cadauer
Indignantẽ animã proprijs nõ reddidit aſtris.

Habet igitur hæc Stoica opinio hanc interpretationem: vt anima, tanquam corporea, eadem pati, quæ corpus; & preſſa ſic, & obtrita pariter cum corpore diſsipari, ac ſolui dicatur. Scio hoc minimè probatum Cordubenſi Magiſtro, ad locum, de quo modò egimus, ita habenti. *Qui hoc dicunt videntur mihi errare. quemadmodum flamma non poteſt opprimi, nam circa id diffugit quò vrgetur: quemadmodum aër verbere, aut ictu non læditur, nec ſcinditur quidem, ſic animus, qui ex tenuiſsimo conſtat, deprehendi non poteſt, nec intra corpus affligi, ſed beneficio ſubtilitatis ſuæ, per ipſa, quibus affligitur, erumpit.* Forraſſe cũ Seneca quotquot è Stoicis doctiores ſenſerunt, vt magno eius Interpreti viſum. Sed neſcio quid in mentem venit, quod labantem hanc ſententiam, no- Senec. ibid. Lipſ. Phyſiol. Stoic. lib. 3. cap. 15.

ua interpretatione fulcire, & ſtabilire poſsit: quam Stoicæ doctrinæ ſtudioſis inuidere haud debeo. Hos igitur velim rogatos, vt in memoriam reuocent, Stoicorum etiam fuiſſe ſententiam: iſtam animorum durationem ſortitò nobis contingere, tribuique in euentum felicitatis, vt poſt corporum ſolutionem ſapientibus, & magnis Viris longiſsimæ vitæ vſura frui concedatur.

Syneſ. de Inſomn.

Hinc apud Syneſium:

Ἦ μάλα δὴ κεῖναί γε μακάρταται ἔξοχα πασέων
Ψυχάων ποτὶ γαῖαν ἀπ᾽ οὐρανόθεν προχέονται.
Κεῖναι δ᾽ ὄλβιαί τε, καὶ οὐ φατὰ νήματ᾽ ἔχουσαι,
Ὅσσαι ἀπ᾽ αἰγλήεντος ἄναξ σέθεν, ἠδὲ καὶ αὐτοῦ
Ἐκ Διὸς ἐξεγένοντο, μίτου κρατερῆς ὑπ᾽ ἀνάγκης.

Felices nimium, reliquis & ſorte priores
Sũt animæ, ad terrã quæ ſũmo ex æthere fuſæ,
Hæ quoq; felices, & inenarrabile prorſus
Stamen habent à te quę Rex, *ſplendente vel ipſo*
Ab Ioue proueniunt, filo cogente ſubactæ.

Senec. de Conſolat. ad Marc.

Hoc etiam ex Seneca habemus, & paſſim docebunt Auctorum loca, quæ in hoc Opuſculo ad res alias adducam. Cùmq; ita ſit, hoc ſortis beneficium, ex interitus qualitate indicari exiſtimo. nam quemadmodum laqueo damnati, plebeij, vileſq; homines, vel ex hoc mortis genere reputandi; cùm

non

nonniſi nobiles gladio percutiantur : ita in. felicisſimi illi erunt , qui terræ pondere obruuntur, aut naufragio pereunt . Etenim æquus haud eos amauit Iuppiter, nec magnam illis animam donaſſe, & æuo duraturã dicendum eſt ; qui tam peſsimo fato in ſui perditionem trahuntur . Huc reſpexit proculdubio Homerus, ne id prætermittã, quod pro re propoſita eſt adnotatione ſatis dignum, cùm inuiſum Dijs, hoc eſt, ſuperioribus poteſtatibus Aiacem deſcribat. Hom. Odyſ. Δ

Καὶ νύ κεν ἔκφυγε κῆρα, καὶ ἐχθόμενός περ Ἀθήνῃ,
Εἰ μὴ ὑπερφίαλον ἔπος ἔκβαλε, καὶ μέγ' ἀάσθη,
Φῆ ῥ' ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης
Τοῦ δὲ Ποσειδάων μεγάλ' ἔκλυεν αὐδήσαντος,
Αὐτίκ' ἔπειτα τρίαιναν ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσιν,
Ἤλασε, &c.

Seruaratq; vndis fugientem fata per æquor
Armiſonæ quamuis infenſum crimine Diuæ.
Cum nimis in Diuos accenſus projcit iras ,
Atque ſuperbificis ferijt latratibus auras.
Vel dijs inuiſis (clamabat) cærula verram ,
Fluctiuagiſq. vndis fugiã per æquora ſoſpes.
Ingemuit dictis media Neptunus in vnda
Vt tetigere aures, & tela vltricia poſcit,
Atq; manu valida rapuit crudelè tridẽtẽ. &c.

Itaque tam exitialem vitæ exitum , nonniſi in pœnam Aiaci datum , vt ex Senecæ car-

Sen. Trag. Agam. mine quod paulò ante adduximus, perſpicuè etiam innotuit. Vnde quàm grauiſsima ſint, & plena ſapientiæ illa Ciceronis verba, quiſque poterit intelligere; quæ in Orat. in L. Piſonem habentur. *M. Marcellus, qui ter Conſul fuit, ſumma virtute, pietate, gloria militari, perijt in mari: qui tamen ob virtutem, & gloriam, & laudem viuit: in fortuna quadam eſt illa mors, non in pœna putanda.* Exiſtimationi enim eius conſulit Cicero, & peruulgatam hanc opinionem ab eo amolitur περὶ αὐτόματον θάνατον, ſimpliciter ad fortunam referens, ait, perijſſe. nam cùm tãtæ eſſet bonitatis, haud meruerat pœnam, eamq; tam grauem, ſubire. Quod paulò antè exemplo etiam C. Marij eleuare conatus erat, inquiens. *Fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ.* Sic Polidi Lacd. qui curam à Dionyſio venundandi Platonem ſuſceperat, & rem peregerat, accidiſse narrat Diogenes, hoc eſt, illum in Helice fuiſſe ſubmerſum; *Dæmone indicante, iſta illum philoſophi gratia perpeti.* Ob Aiacis noxam, (tanta eſt ira Numinum) Locrenſes ſocij immerentes vltione mactati; quippè, cùm poſt Troiam euerſam ſecum in patriam redirent, miſerè naufragio perierunt. Optimè eximius Latinorum Poetarum:

Cic. Orat. in Piſon.

Cic. ibid.

Diog. ex Phauorino in Platone.

— Pal-

— *Pallas ne exurere gentem* Virg. 1. Aeneid.
Argiuum, atque ipſos potuit ſubmergere pontos
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei,
Diſiecitq; rates, euertitq. æquora ventis.

Meminit & Græcorũ Princeps; poſt carmina, quæ ſupra adducta ſunt: ac teſtatiſſimũ tã apud Græcos, quàm apud Latinos ſcriptores. Tetigit etiam noſter Flaccus Ode, qua Mæuio Poetæ, æmulo ſuo, tempeſtatem imprecatur. Horat Epod. Od. 10.

Cum Pallas vſto vertit iram ab Ilio
In impiam Aiacis ratem.

Rationem alibi dederat. Horat. carm. lib. 3. Od. 2.

— *Sæpe Dieſpiter*
Neglectus inceſto addidit integrum.

Porrò quanta cum peregrina eruditione, quanta cum elegantia, ſuperioribus his carminibus verſus aliquos accenſuerit venuſtiſſimus Poeta, nemini exploratum exiſtimo. at ex his, quæ iam dicta ſunt, conſpicuum fieri poſſet. explico tamen. Terra opprimi, & vndis ſuffocari, erant à Numinibus pœnæ. In nefarium Aiacem vtrumque Scriptores complexi ſunt. Seneca, vt admonuimus, ingentis mole ruinæ illum condidit: reliqui Poetæ vndis obrutum faciunt. His igitur fati generibus piacula Dij vltores expiabant. En ergo quàm appoſitiſsimè ab vtroque periculo ſibi cauens, inquiat Horatius:

—vetabo qui Cereris ſacrum

Horat. ibid *Vulgarit arcana, ſub iiſdem*
Sit trabibus, fragilemq; mecum
Soluat faſelum.

Violato Numine, ſeſe reus inceſtabat. hinc ex caſu timor, hinc etiam ſubmerſionis metus, & par vitæ diſcrimen. Vtrumque adumbrarunt priſcæ fabulæ, quibus impiam gentem; quòd Iouem de cœli poſſeſſione deijcere auſa eſſet, ingenti montium mole oppreſſam, punitamq; narratur. His opponet quiſpiam illud Tertulliani. *Nec Gigantum autem antiquiſsima cadauera deuorata conſtabit, quorum crates adhuc viuunt*. Rectè equidem. haud nego. ſed velim liceat rem hanc diſcutiendam aliò me reijcere, vbi commodior locus. Rurſus hæc etiam opinio iratum Iouem ſub Deucalione armauit; vt aquis mortalium genus abſorberet. Quam ob rem cùm antiquorum rituum, morumq; vt ſe ſe offerunt, primores fontes haurire in hac Diſſertatione mihi proponam, hos etiã, quantùm maximè poſſum, conabor aperire. Nunc, etſi in re fortaſſe omnibus obuia, illud non tacebo: ex Syrorum traditionibus hoc deriuaſſe; quod idem ſupplicium dederint, qui primi ita Deum vindicem prouocauerant, vt eum illos feciſſe velut pœnituerit.

Tertull. lib. de Reſurr. carnis.

Diſſer. c. 11.

Ouid. Metamorph. lib. 1.

Geneſ. c. 6

Eadem

Eadem pœna ſumpta de Pharaonis exercitu:quæ cùm proſtent in ſacris libris, non diutiùs commemoro. Addo ſolùm quod de huiuſmodi vindicatione Hebræi etiam tradũt,& ſic Latinè: *Quãdo deſcẽdit Deus ſuper Aegyptios ad mare,deſcenderunt cũ eo 90.M. Myriadum Angelorum excidij ſecũdũ Aegyptiorũ numerum,vt ſinguli ſingulos perderent.* Exod. c.14 Anonym. Hebr.apud Gaulmin. de Vita Moſis.

Ad alterum mortis genus pertinet Hiſtoria diuinæ vltionis cõtra blaſphemias Chore, & ſociorum; de qua ſic in veteri Fœdere: *Et ait Moſes, In hoc ſcitis quòd Dominus miſerit me,vt facerẽ vniuerſa quæ cernitis, & nõ ex proprio ea corde protulerim. Si conſueta hominum morte interierint & viſitauerit eos plaga, qua & cæteri viſitari ſolẽt,nõ miſit me Dominus: ſin autem nouã rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum diglutiat eos,& omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes in Infernum,ſcietis quòd blaſphemauerint Dominum. Confeſtim igitur,vt ceſſauit loqui, diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis,& vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Audiamus modò quid ſuper hoc facto nugentur Hebræi. In Codice Sanhedrin hæc extant Num.16.28 Sanhedrin c.11.n 3.

ver-

verba, ex Latina Cochæi interpretatione. *Cœtus Corachi non emerget iterum: Q. D. & cooperuit illos terra (Scil. Ea temporalis pœna eſt) perieruntque è medio cœtus. Ea æterna pœna eſt.* Luc.23.29 Qua in re animaduertenda ſunt etiã Seruatoris noſtri verba, id proferentia, quod votum impiorum, huiuſce maleſuadæ opinionis præiudicio, ſciebat futurum: & Oſeas c.10. v. quod antiquiſsimi Prophetarum ſimiliter, καὶ τὴν προσωποποιΐαν ex vulgi ſententia, quã phraſis diuina ſæpe, vt notiſsimum eſt, non abhorret, iiſdemque ferè verbis expreſſerãt. Rei etenim damnationis æternæ, aut non fuiſſe, aut penitus aboleri ſatiùs reputantes: primum poſtquam fruſtrà optare ſentient; quòd in eis parturiẽdis, educandiſq; fæcun- Luc.23.30. Ioan. Apocalyp.c.16 das, καὶ στείρας ſuas fœminas experti eſſent, deſperabundi τότε ἄρξονται λέγειν τοῖς ὄρεσι. Πέσετε ἐφ᾽ ἡμᾶς, καὶ τοῖς βουνοῖς, καλύψατε ἡμᾶς. *Tunc incipient dicere montibus; Cadite ſuper nos; & collibus, Operite nos.* Ac in huius ge- Ioan. Apocalyp. 9.6. minæ mortis notationem, geminatò non abs re apud Ioannem legitur. Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ζητήσουσιν οἱ ἄνθρωποι τὸν θάνατον καὶ οὐ μὴ εὑρήσουσιν αὐτὸν, καὶ ἐπιθυμήσουσιν ἀποθανεῖν, καὶ φεύξεται ὁ θάνατος ἀπ᾽ αὐτῶν. *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eã, & deſiderabunt mori, & fugiet*

mors

mors ab eis. In hoc illã tantummodo aſsecuti vt ait Pſalmiſta, quòd, ἐπιθυμία ἁμαρτωλῶν ἀπολεῖται *deſideriũ peccatorũ peribit.* Aliqua his annectẽda infra ſcribimus. Primores autẽ huiuſce opinionis fontes ex Ethnicis ſcriptoribus alibi etiam aperimus. Cùm igitur (vt quod magis inſtat agamus) mortem in aquis tam exitialem, ϗ *διαίταν*, ac viuere ſolas ſapientum animas Græcia exiſtimauerit: magnũ quidpiam, & penitiſsimum ſub decantata Arionis fabula arcanum inſpicio. Quippe ex induſtria hanc euitauiſſe, & non quampiam aliam mortem, confixiſſe credendum eſt. Quam ob rem cum L. Veri numum obſeruo, quem huiuſmodi cymeliorum, mathematum, & antiquitatis apprimè ſtudioſus Io. Birè Nannetenſis nuper mihi exhibuit, vel ἔκτυπον Commodiani, quod Antonius Auguſtinus euulgauit:

Pſalm. 111. Huius Diſſert. c. 3. Ibid. c. 18 Ant. Aug. Dialog. 5. Tab. 61.



illud

Horat. lib. 4. carm. Od. 8. illud Horatij expreſſum agnoſco, ſed locupletiori ſenſu, vt ſcilicet, non ad ſolum ex famæ obſcuritate interitum ſit referendum: ac propterea nobiliſsimum, & Stoicum ἔμβλημα conficiatur. DIGNVM LAVDE. hanc laurus indicat. VIRVM, quem virtus commendet. MVSA VETAT MORI, ob ſapientiam æuitatem animi ſortiri, quod eſt animato nauigio ex vndis incolumis euadere.

Sed nolo vlteriùs diuagari. Satis hæc ſunt ad propoſitam nobis Homeri explicationē. Omnis igitur, vt rem colligã, Stoicorum ratio in hoc poſita eſt. Animam ſcilicet ignis, aēriſq; temperamentum, licèt poſt corporum ſolutionem duraturam, tamen cùm & ipſa corpus quantumuis tenuiſsimum ſit, ruina & naufragio obrui, ac extingui poſſe. idque, ni apud ſummos Viros, vulgò tamen receptũ fuiſſe. Vidēdum proindè, an eadem Homero applicari debeat? Certè non aliam rationem Seruius Cõmen. in Aeneid. 1. agnoſcit Seruius: qui ad illud Virgilij de Aenea mortem in aquis perhorreſcente, hoc habet: *Ingemit Aeneas non propter mortem, ſed propter mortis genus. graue eſt enim ſecundùm Homerum perire naufragio, quia anima eſt ignea, & extingui videtur in mari, contrario elemento.* quid clariùs?

Opor-

Oportet hunc Grammatici locum ſub examen reuocemus; nam quamuis apta Homeri sẽſui dixerit Auctor; haud fortaſſe Poetæ ſuo conuenientia. ſed præcipuus erit de hac re diſſerendi locus, cùm tertium Syneſij argumentum, & reliquum ex Homero teſtimonium expendemus. Nunc, quod magnoperè intereſt, proſpiciendum erit, an hæc ratio verè Homerica dici poſsit, & ex ipſius Poeſeos penetralibus educta? Porrò de hac re nos dubitare haud ſinit Homeri doctrinæ addictiſsimus ſcriptor Plutarchus: qui hùc trahit vnum, & alterum poetæ figmentum: vtrumque ſanè, vt ex induſtria inuentum, ſic etiam obſeruatione ſatis dignum. Fingit enim, Xanthum, & Vulcanum inter ſe ſe inimicitias exercere, & Neptunũ Apollinem ad pugnam prouocare. quarum rerum ſignificationem verbis eruditione refertiſsimis, & propterea haud prætermittendis, ſic explicat. Καὶ μὴν οὐδὲ τὸ τῆς φθορᾶς ἀληθές ἐστιν. οὐ γὰρ εἰς τοὐναντίον ἀλλ' ὑπὸ τοὐναντίου φθείρεται τῶν ἀπολλυμένων ἕκαστον, ὥσπερ τὸ πῦρ ὑπὸ τοῦ ὕδατος εἰς τὸν ἀέρα. τὸ γὰρ ὕδωρ ὁ μὲν Αἰσχύλος, εἰ καὶ τραγικῶς, ἀλλ' ἀληθῶς εἶπε.

Παῦε ὕδωρ δίκην πυρός.

Ὅμηρος δὲ τῷ ποταμῷ τὸν Ἥφαιστον, καὶ τῷ Ποσειδῶνι τὸν Ἀπόλλωνα κατὰ τὴν μάχην φυσικῶς μᾶλλον, ἢ μυ-

Plutarc. de primo frigid.

Hom. Iliad. Φ

ἢ μυθικῶς ἀντέταξεν. ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἐπὶ τῆς τἀναντία φρονούσης οὐ κακῶς εἶπε.

Τῇ μὲν ὕδωρ ἐφόρει δολοφρονέουσα χερὶ,
Τῇ ἑτέρῃ δὲ πῦρ.

ἐν δὲ Πέρσαις τῶν ἱκετευμάτων μέγιστον ἦν, καὶ ἀπαραίτητον, εἰ πῦρ λαβὼν ὁ ἱκετεύων καὶ ἐν ποταμῷ βεβηκὼς ἀπειλοίη, μὴ τυχὼν, τὸ πῦρ ἐς τὸ ὕδωρ ἀφήσειν. ἐτύγχανε μὲν γὰρ ὧν ἐδεῖτο τυχὼν δὲ ἐκολάζετο διὰ τὴν ἀπειλὴν, ὡς παρανόμον καὶ κατὰ τῆς φύσεως γενομένην. Καὶ τοῦτο δὴ τὸ προχειρον ἅπασι, πῦρ ὕδατι μιγνύναι τὸ παροιμιαζόμενον ἐν τοῖς ἀδυνάτοις, μαρτυρεῖν ἔοικεν, ὅτι τῷ πυρὶ τὸ ὕδωρ πολέμιόν ἐστι, καὶ ὑπὸ τούτου φθείρεται, καὶ κολάζεται σβεννύμενον.

Id quoque argumentum quod de interitu afferebatur, vanum eſt. Non enim in contrarium abit quidquid interit, ſed à contrario corrumpitur. Sic ignis, vel aqua dum perimitur, in aerem mutatur. Nam Aeſchilus non tam tragicè quàm verè dixit.

Compeſce aquam ignis ſupplicium,

& Homerus fluuio Vulcanum, Neptuno Apollinem in pugna phyſicè magis, quàm fabuloſè oppoſuit. ac Archilochus de contraria ſentiente non malè dixit.

Illa dolos nectens aquam ferebat altera
Manu, alteraque ignem.

Apud Perſas verò ſupplicandi genus erat acerrimum, & repulſæ ſecurum, ſi ſupplex

cum

cum igne in fluuium deſcendens, minaretur ignem ſe in eum abiectarum, niſi impetraret quod petebat, fiebat enim compos voti, ſed puniebatur propter cõminationem, vt potè iniuſtam, & naturæ contrariam. Illud quoque tritum: ignem aquæ miſces, vſurpatum in eos, qui vi conantur efficere quod fieri eſt nefas: teſtari videtur igni aquã eſſe hoſtem, ab eaq; illum perimi, & extinguendo multari.

Igitur ex Philoſophiæ arcanis deſumptum quod Homerus per ambages indicauit, vt ſcilicèt aqua igni contraria, ſic anima, quæ ignis eſt, per aquas exſtinguatur. Neq; hoc prætermittẽdum. quod enim de Xantho Fluuio, & Vulcano; itẽ quod de Apolline, & Neptuno à Poeta fingitur, tunc ſuis Rapſodijs annectuntur, cùm Achillem mortem in aquis perhorreſcentem induxerat. Idque, ſicut cæteris maius propoſitæ aſſertionis documentum, vt videri Syneſio mox probabimus; ſic, & pro ratione ſuarum fictionum detegenda, iſta omnia excogitata ſatis euidenter apparebit. cap.ſeq.

Ite-

Iterum de Homero: ac Virgiliana imitatio expenditur. Cap. IIII.

Achilles apud Homerum horret mortẽ in aquis. Ratio altera ex Syneſio, altera ex Euſtathio: & vtra melior examinatur. λευγαλέου *ſignificatio. Viro forti quæ mors ingloria? Ariſtoteles expenſus. Mors in aquis duplex. Achillis pugna ad Scamandrum.* Eius *virtus laudata.* Homeri *locus de Vlyſſe ſimiliter mortem in aquis perhorreſcente. Idem in Aenea Virgilius præſtitit, & qua ratione? Seruius, & alij eum ſecuti Interpretes reprehenſi. Virgilio hac in re tributus error.*

Syn. epiſt. 4 PErgit itaque Syneſius. Καὶ Ἀχιλλεὺς ἀνὴρ εὐψυχότατός τε καὶ φιλοκινδυνότατος ἀποδειλιᾷ τὸν ἐν ὕδατι θάνατον, ὃν καὶ λευγαλέον καλεῖ. *Quin etiam Achilles ille fortiſsimus, & in periculis ſubeundis audaciſsimus, mortem nihilominus in aquis perhorreſcit, quã* λευγαλέον *i. exitialem etiam nuncupat.* Et apud Homerum hic eſt, qui adijcitur, locus:

Iliad. φ.

Ζεῦ πάτερ, ὡς οὔτις με θεῶν ἐλεεινὸν ὑπέστη
Ἐκ ποταμοῖο σαῶσαι, ἔπειτα δὲ καί τι πάθοιμι.
Ἄλλος δ' οὔτις μοι τόσον αἴτιος οὐρανιώνων,
Ἀλλὰ φίλη μήτηρ, ἥ με ψεύδεσιν ἔθελγεν.
Ἥ μ' ἔφατο Τρώων ὑπὸ τείχεϊ θωρηκτάων

Λαιψη-

Λαιψηροῖς ὀλέεσθαι Ἀπόλλωνος βελέεσσιν.
Ὥς μ' ὄφελ' Ἕκτωρ κτεῖναι, ὃς ἐνθάδε τέτραφ' ἄριστος,
Τῷ κ' ἀγαθὸν μὲν ἔπεφν', ἀγαθὸς δέ κεν ἐξεναρίξε.
Νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι
Ἐρχθέντ' ἐν μεγάλῳ ποταμῷ, ὡς παῖδα συφορβὸν,
Ὅν ῥά τ' ἔναυλος ἀποέρσῃ χειμῶνι περῶντα.

Iuppiter, vt quid nemo Deu miſeretur Achillis,
Qui me de fluuij vi liberet? anne ego quicquã
Poſſibac perpetiar? certè horum nemo malorũ
Eſt auctor mihi de ſuperis, niſi cærula Mater:
Quæ me blanditijs mendacibus ante ſeſellit,
Cum mihi Apollineis prædiceret eſſe cadendum
Ilion ad ſacrum telis. vtinamq; ſuperbi
Hectoris enſe cadam, quo nõ præſtantior alter
Dicitur his habitare locis. cauſa æquior eſſet,
Si fortis fortem interimat. nam mortis honeſtę
Impia fata adimunt ſolatia, ſcilicet iſthoc
Obruar in fluuio, ceu natus patre ſubulco,
Quem torrentis hyems ignota condat arena.

Sed diuerſam à Syneſio huius timoris cauſam excogitauit Euſtathius. ait enim; Euſtath. iliad.
Δοκεῖ οὖν λείπεσθαι, καὶ ἑτέρου εὐχῆς. ἵνα μὲν σωθείη ἐκ τοῦ ποταμοῦ. εἶτα δέ καί τι πάθοιμι. καὶ ἔστι καὶ τοῦτο κατὰ τὸ, ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον, ὅπερ ὁ Αἴας που ἔφη. ἐστὶ γὰρ ὥσπερ ἐκεῖ ἀπευκταῖον τῷ ἥρωι τὸ, ἐν σκότει ὀλέσθαι, οὕτως ἐνταῦθα τῷ Ἀχιλλεῖ οἴκτιστον, θανεῖν ἐν κύμασι. *Videtur igitur, & altero fruſtrari deſiderio; ni ſcilicet mortem in fluuio*

euadat. vltrò alibi obiturus, iuxtà illud. In luce verò nos perde. *quod alibi Aiax* inquit. *& vt ibi vitandum Heroi in tenebris interire, ita & nunc Achilli moleſtum mori in vndis.* In hanc Obertus Giſan. Euſtathij rationem pedibus ire videtur, qui in Homero τὸ λευγαλέον *ingloriũ* vertunt; cũ tamen ob vocis etymon, quod pluribus in locis, (diuersè licèt) idẽ docuit Euſtathius, Euſt. ſemper tamẽ ὀλέθριον ideſt, *exitiale, pernicioſum, ac mortiferum* exponendum iudicatur.

Sed perpendant docti Viri, quænam cum Homeri dictis conſentiat Euſtathij an Syneſij ratio? Mihi quidem, vt liberè dicam, non ſatisfacit Interpres: & qui vbiq; ſemper magnus, hic Homeri mentem non eſt aſſecutus. Haud enim tamquam obſcurã horret Achilles mortem in aquis, nec quod transfertur Aiacis dictum ad rẽ facit; nam ibi tenebroſi aeris caligine verè offuſcabãtur Achiui: eiſq; ad fortiter agendum erat impedimento. Quamobrem indignatus Aiax, meritò Iouẽ rogat, vt ſi ei libitum ſit Græcos perdere, ſinat illos in luce mori. Achillẽ verò nõ nox, nõ tenebræ lædebãt vt nec propterea mortẽ ille ægre ferre, tamquam alijs non conſpicuam poterat. At μεταφορικῶς, & pro gloriæ luce hoc capiendum? Non me fugiunt; quæ aptè ad hunc locum habet ſummus Philoſophus

phus de Viris fortibus:, qui moriuntur in mari, inquiens, καὶ τὸν θάνατον τὸν τοιοῦτον δυσχεραίνειν hoc eſt *illos tale genus mortis moleſtè ferre, & velle potiùs cadere in bello*; quam mortem vocat honeſtiſsimam, adhibita hac ratione; quod cõtingat ἐν μεγίστῳ, καὶ καλλίστῳ κινδύνῳ *in maximo, & pulcherrimo periculo*: Qua laude ait carere illos, qui obeunt in mari. Igitur optat Achilles ſub muro Troianorum armatorum occumbere, nec Hectoris gladio opprimi dedignatur. an non dicendum, ſic glorioſam necem in prælio appetijſſe, vt mortem in aquis, velut obſcuram, & in gloriam abhorruerit? Ariſt. lib. 3. Aethic. c. 6.

Verùm enim verò conſiderent quæſo Homeri poëſeos amatores, viro militari dupliciter mortem in aquis poſſe contingere. Primùm eſt, ſi nauigatione vel per mare, vel per flumen inſtituta, naufragium patiatur; videlicet, cùm nulla ipſi fortitudinis declarandæ præbeatur occaſio: & hoc deſignat Ariſtoteles: quod declarat, addens ἐν θαλάττῃ, καὶ ἐν νόσοις, *vt ſi quis vel in mari naufragio pereat, vel morbis conficiatur*: & paulò infra, cum inter nautam, virumq; fortem diſtinguit: οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν θαλάττῃ, καὶ ἐν νόσοις ἀδεὴς ὁ ἀνδρεῖος. οὐκ οὕτω δὲ ὡς οἱ θαλάττιοι. *vacat tamẽ metu etiam in mari atque* Ariſt. ibid.

in morbis vir fortis, licèt non ſic vt nauta: quod *horum ſcilicet vſus, & experientia confirmauerit, & benè ſperare docuerit*. Hìc obiter inſero nauticum ἀπόφθεγμα. Interrogabatur Nauta, vbi nam mortuus eſſet eius pater? In mari, reſpondit. vbi nam auus? ibidem. at tu cur mare ingrederis? tunc reciprocata interrogatione, ſic interrogantem nauta alloquitur. amabò dic mihi vbi pater tuus mortem cum vita commutauit? in lecto. & auus vbi deceſsit? in lecto. cur igitur, & tu ipſe lectum conſcendis? In vtriuſque ſortis metum inciderat Alexander Macedo, cùm noxa in Cydno amne contracta, expiranti ſimilis in tabernaculum delatus, non immeritò (referēte Curtio) obſcura, & ignobili morte extingui querebatur. Sic Romanis, & Vitellio ex intumeſcētis Oceani inundatione emerſis, haud minùs id contigiſſe (inquit Tacitus) miſerabile, quàm quos hoſtis circumcidit; quippè illis etiam honeſtæ mortis vſus: his inglorium exitium. Parum enim differt, vel in aquis vel morbo bellator intereat, nec inter ſe admodum diſtat vtrūq; hoc lethum, cum neutrum militare, nec imperatorium. notum vulgò, Oportere Imperatorem ſtantem mori.

Curt. lib. 3

Tacit. Annal. lib. 1.

Altero modo poteſt viro forti mors in aquis

aquis accidere;ſi manus cum hoſte in flumine aliquo conſeratur, ſi maritimo prælio claſſes committantur. In hoc diſcrimine, mortem in aquis timere,ignauiæ,& non gloriæ cupiditatis eſſet argumentum. Si enim in conſpectu hoſtium,& pro ſuorum partium defenſione fortiter dimicando,labi, ac mergi in aquis fortaſſe contingat, merito virtutis honore quis defraudari haud poteſt, nec debet.neque obſcura eſt mors,neq, ingloria erit dicēda,cùm & ſuos, & hoſtes teſtes fortitudinis habeat. Huc refero Callicratis dictum.Stabat iam hic in acie,ſed ictus ſagitta eſt,ante commiſſum prælium. Dixit tunc, ſibi moleſtum non eſſe mori, inſpectante enim vniuerſa Græcia (vnam qua mors optabilis reddi poteſt nactus erat conditionem)ſed id tantum dolere,quòd vti ſibi manu non licuiſſet. quippe hoc alterum tantum deerat ad viri fortis glorioſum occubitum. Græca ſunt apud Herodotum. *οὐ μέλειν οἱ, ὅτι* Herod, lib,
περὶ τῆς Ελλάδος ἀποθνήσκει, ἀλλ᾽ ὅτι οὐκ ἐχρή- vii.
σατο τῇ χειρὶ. Nūc ad Homeri locū,& Achillem reuertamur.Heros hic decertando cum Troianis hoſtibus: & ijs in duas partes diuiſis,hos quidem ad Ciuitatē,illos ad Scamādrū fluuium proſequitur:& pręter cętera ſuę fortitudinis, atque iracundiæ ſpecimina,

duodecim iuuenes viuos capit in vltionem Patrocli;Licaonem autem filium Priami,repudiatis eius precibus,neci tradit ; Aſteropeum etiam interficit; qui cum ambidexter eſſet, duabus pugnabat haſtis : cuius etiam robur diuinitus auctum vt indicaret Vates, illud ei in mentibus poſuiſſe Xanthum,quia Achilli iratus erat ob iuuenes immaniſsimè cæſos,fingit.His editis facinoribus, hoſtium cruore, corporum armorũque aceruis intumeſcente fluuio: tunc ne aquis ſubmergeretur,ſeſe ei obtulit timor. attamen quis obſcuram, & ignobilem ei mortem contigiſſe diceret;qui in multa pugna,nulli cedens, à nemine victus, de ſe illud L.Accij antiqui inter Latinos Tragœdiarum Scriptoris,iactare poterat; iuxtà doctiſsimi viri Gerardi Ioannis Voſsi recenſionem;

L·Accius in Epinauſimachæ. apud Non. in verb. Amnis.

Et Scamandriam vndam ſalſo ſanctam obtexi ſanguine;
Neque aceruos alta in amni corpore expleui hoſtico.

& propterea non tam frigidis vndis, quàm calido hoſtium à ſe recens interfectorum ſanguine ſuffocaretur.Celebrat & hãc apud Scamandrum Achillis gloriam Catullus; apud quem Parcæ de naſcituri herois virtute, ſic:

Catul. in Argon.

Teſtis

Teſtis erit magnis virtutibus vnda Scamãdri,
Qua paſsim rapido diffunditur Helleſponto,
Cuius ter cæſis anguſtans corporum aceruis
Alta tepefaciet permiſtam flumina cæde.

Igitur ſi ità Achilli mori datum ἐν σκότῳ ὀλέσθαι in tenebris vitam compleuiſse dicendum non eſset. Porrò aliam, quàm Euſtathij rationem ad Homeri verba accomodare opus erit; & nulla potior Syneſiana.

Non eo tamen inficias ad locum in Homero, quo eodem timore Vlyſſem correptũ fingit, Euſtathij rationem congruẽtiùs afferri poſſe. nam licèt eadem verba quæ de Achille, itidem de Vlyſſe vſurpet Vates; non ſunt tamen eadem rerum, quę narrantur, accidentia. Vlyſſes enim, maris exorta tempeſtate, naufragium exhorreſcens, inquit; Odyſſ. ε

—— νῦν μοι σῶς αἰπὺς ὄλεθρος·
Τειςμάκαρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις, οἳ τότ᾽ ὄλοντο
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ, χάριν Ἀτρείδῃσι φέροντες.
Ὡς δὴ ἔγωγ᾽ ὄφελον θανέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν
Ἤματι τῷ, ὅτε μοι πλεῖστοι χαλκήρεα δοῦρα
Τρῶες ἐπέρριψαν περὶ Πηλείωνι θανόντι.
Τῷ κ᾽ ἔλαχον κτερέων, καί μευ κλέος ἦγον Ἀχαιοὶ·
Νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι.

Mors mihi certa ſubit. O terq; quaterq. beati
Quis ante ora Deum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere. O Danai, cũ Pergama circũ

Atridis geritis crudelia bella feroces:
O vtinam tum cùm quaterent haſtilia denſa,
Ingererentq; haſtas ferrata cuſpide Troes,
Telaque & æra duces, & pila minantia pilis
Et ſuper extincto foret heu certamen Achille,
Obrutus Aeolijs cecidiſſem fuſus in armis,
Et bello egregio ſubijſſem fata caducus.
O vtinam Iliacis potuiſſem occumbere campis,
Tum mea pugnaces celebraſſent funera Grai,
Duxiſſentq; decus præclaraq; facta Pelaſgi,
Manſuriſq; diu donatus honoribus eſſem.
Nunc ſors atra iubet mortē ſubiſſe per vndas
Hocq; mori pelago, prædāq; errare per æquor.

Etenim cum in primum caput diſtinctionis noſtræ incidat hic timor, rectè ſuccedit de fati obſcuritate obſecratio; quam quidē nec ipſe omiſit Poeta. clarè enim explicat, quam ob rem hoc genus mortis etiam moleſtum fuerit Vlyſsi. Optat quippe in Troia cecidiſſe, nam tunc, vt ait, ſortitus eſſet parentalia, & ſuam gloriā Græci celebraſſent. Hinc puto factum, quòd accuratiſsimus, & diligentiſſimus ſcriptor Syneſius, vt mortem in aquis δυσθανάτων eſſe, Homeri probaret auctoritate, primum de Achille, non hunc de Vlyſſe attulerit, ac ponderauerit locum: quamuis vt Poeta ſibi conſtet, quod nemo prudens in dubium vertere conabitur, vtrobique ab

Syneſſ. ep. 4

vno

vno eodemque fonte timorem mortis, hoc eſt ab animæ interitu fluxiſſe erit fatendum, licet mantiſſæ loco, aliæ etiam cauſæ additæ; cum illic ſe à matre deceptū fateatur Achilles; quòd alio mortis genere, & viro forti optabiliore, ſe occubiturum prædixerat; hìc quòd Vlyſſes ab totius exercitus conſpectu & ab gloria inde ei affutura arceatur.

Ad iſta Homeri loca, eius præcipuum imitatorē Virgiliū, reſpexiſſe, cùm Aeneam tempeſtate iactatum, in hęc verba exclamantem inducit, Virg. 1. Aeneid.

—— O terque quaterque beati
Queis ante ora patrū Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere. o Danaum fortiſsime gentis
Tydide, me ne Iliacis occumbere campis
Nō potuiſſe; tuaq; animă hac effundere dextra?

quotquot ſunt eius Interpretes docuerunt. An igitur eadem Virgilio, quæ Homeri mens fuit? eadem, ſi credimus Seruio. cum id timoris obueniſſe Aeneæ, non propter mortem; nam ſtatim ait beatos eſſe, qui obierūt, & ipſe obijſſe cupit, ſed ob mortis genus putauerit, ne ſcilicet anima, cùm igneæ ſit naturæ, contrario periret elemento. Cum Seruio conſentiunt Viri doctiſsimi: qui hāc ſententiam nonnullis ex ijs, quæ ſparſim adducimus, Auctorū locis comprobare, & illuſtrare

re nituntur. Fauetque illis locuples eiuſdem Poetæ teſtimonium, quo ignem eſſe animam apertiſsimè fatetur;

Virg. lib. 6. Aeneid. *Igneus eſt olli vigor, & cæleſtis origo.*

Sed quid ſi omnes perperã iudicaſſe, & Seruij auctoritate deceptos in Poetæ interpretatione non penitus vidiſſe dicamus? Sanè id conuincam, ſi Virgiliũ Homericam de animi exſtinctione doctrinã, ſiue quod is meliorem Philoſophiã fuerit ſectatus, ſiue quod magis ad Romanorũ ſacrorũ ritus, legeſq; ſe accomodauerit, minimè eſſe ſecutum probauero. Itaq; vt cũ eodem Aeneiæ claſsis naufragio tranſuerſos egiſſe hos Scriptores appareat; illud in primis adnotatum volo; Lyciorum nauem, & Orontem illorum ducem marinis fluctibus abſorptos. inquit enim Poeta.

Virg. Aeneid. 1.

Vnam quæ Lycios, fidumq; vehebat Orontem
Ipſius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit, excutitur, pronuſq; magiſter
Voluitur in caput. aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.

Aen. 1. & alibi idem firmat.

Omnia tuta vides, claſſem. ſocioſq. receptos,
Vnus abeſt, medio in fluctu quẽ vidimus ipſi
Submerſum.

Conſentaneum eſſet ijs, quæ ex Homeri poeſi

poeſi ſupra diximus, vt quemadmodum Aiacis Oilei manes ἐν τῇ νεκύᾳ, non recenſentur, ſic Orontis, & ſociorum animæ apud inferos non extarent. & nihilominùs Aeneas Virg. Aeneid. lib. 6

Cernit ibi mæſtos, & mortis honore carentes
Leucaſpim, & Lyciæ ductorem claſsis Orontē;
Quos ſimul à Troia vētoſa per æquora vectos
Obruit Auſter, aqua inuoluens nauēq; viroſq.

Mitto quod de Palinuro ſubijcitur; cùm non æquore merſus, ſed ferro apud Lucaniæ littora interierit. Expreſsè igitùr hac in re ab Homero diuerſus, non cum eo ſentire potuit, vt eadem ratione apud hunc Aeneas mortem timens inducatur, qua apud illum Achilles, vel Vlyſſes: Perperam igitur argutatur Seruius, & quod ab initio monuimus, Homero, non autem Poetæ ſuo, ſuis dictis concinnauit explanationem. Cur igitur expaueſcit Aeneas, & ad periculum inſtantis mortis ingemiſcere inducitur? Rependat Seruio vices Euſtathius, & permutatis inter hos Interpretes rationibus, quam Homero bonam præſtitit operam Seruius, reddat Maroni Euſtathius, & Poetæ ambo lucem accipient: Sapienter igitur Tarquinius Gallutius in ſuis Virgilianis Vindic. poſtquam Seruiana iſta retuliſſet, ſe commemorauiſſe, inquit, Gallut. Virg. Vind. loc. 5.

vt

vt locum, quem tractabat, expleretur partibus ſuis, non vt ſignificaret Aeneam de illo interitu animæ quicquam cogitaſſe, dum timuit; ſatis enim timoris doloriſque ampla ſuppetebat ex eo cauſa, quòd ignobili morte, nec inter armatas copias interierat. Vlterius tamen progreſſa eſt quorumdam Virgilianorum Interpretum ſupinitas, vt alium poetæ locum in eundem ſenſum per vim trahere non dubirauerint. Siquidem vbi in Lybiæ litore Troiani recepti

Virg. Aeneid. lib. 1.

Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt,
Spẽq; metumq; inter dubij, ſeu viuere credant;
Siue extrema pati, nec iam exaudire vocatos.

Iſtud quod nõ exaudierint vocati, ad animorũ mortẽ referunt. Sed rectè contrarium monuit Ioannes à Meyen, in Virgilij explicatione laudandus auctor: cuius verba pro horum carminum intelligẽtia, cùm breuia ſint, referre non grauabor; & ſunt videlicet;

Io. à Meyen in expoſ. ad Virg.

Olim enim quos quærebant ſæpius vocabant antequam audirent. Vnde lib. 6. Magna manes ter voce vocaui. & tamen de mortuo loquitur. vide etiam in Adagiorum Chiliad. Hylam inclamare, & coniunge his Eclog. 6. Virgilij, omiſſo Seruij ſuper hoc commento, atque etiam illorum qui hic interitum corporis, & animi ſignificari putant. quas opinio-

nes

nes locus Homer. Odyſſ. 9. cum teſtimonio interpretis, & Ioannis Tzetzi in hiſtorijs, facilè refellunt. Sed cum igne animam conſtare Virgilius non negauerit, cur aqua prædominante, ea non extinguetur? Sunt qui in hoc Poetæ errorem agnoſcant, & vt inquit Ant. Clarus, alia impietate illum defendãt, veluti *finxerit Inferos ad terrorem, non quòd eos eſſe crediderit præter priuationem*. Quod an verum falſumuè ſit, diſcutiendũ alijs relinquo. Ex Marone, tam optimo Romanæ gentis ſcriptore, facili tranſitu in occaſionem iretur differendi de Romanorum circa propoſitam materiam religione. Sed exotica, vt Diſſertationis ordo magis poſtulat, priùs inquiramus, deinde iterum ad Græcos conuerſa, directaque oratione; quidquid dignum viſum fuerit, ex eorum libris transferemus.

Ant. Clar Sylu. Com. in leg. etc. cap. 25.

Quid

Quid apud Syros, & vulgò opinatum. Cap. V.

Phœniciorum diſciplinæ ſparſæ in Homeri Rhaſodijs. Zeno Stoicus Philoſophus P,hœnicius audiebat. Achillis Tatij locus. Philo Iudæus expenſus. Suos infantes haud in Nilo, ſed in campis Hebræi exponebant. Moſes cur in flumen proiectus? Syrorum de hominis anima, & de reſurrectione allucinationes, & hæreſes. In Græciã eorum deliramenta transfuſa, Philoſophorum ſectas pepererunt. De præfocatis in Eluuionis aquis, Rabbinicæ opinationes. Noe cur ſaluus euaſerit? Pſeud. Enoch ex Scaligero locus producitur: In Noe arca Dæmones ſeruatos volũt Rabbini. Sanhedrim dicta quædam conſiderata. Ψυχὴ Helleniſticè idem quòd ζωὴ. Caſtitatis ſeruandæ cauſa, apud Hebræos egregia exempla. Illuſtratus Ioannis in Apocalypſi inſignis locus, & controuerſus. Sacræ Scripturæ phraſis ſæpe ad vulgi captum. Pſalm. 68. ver. 1. παράδοξος expoſitio. Quæ mors animæ ſecundùm Theologos? Alter ex Pſalmiſta locus declaratur.

INualuit inter eruditos, vt quidem rationi consentanea, ſic ſatis auctoritate firmata opinio, Diſciplinas omnes olim in Græcia aduenas fuiſſe. Simul enim cum aduentu Cadmi, quem Iudæum vel Chananæum, hoc eſt

eſt Phœnicem prædicant, ne dum litteræ, & lingua, ſed res humanæ & diuinæ ortum, ac natales accepiſſe: deinde ad Aegyptios ad Brachmanas, & quas Barbaras vocant, alias nationes, inſtitutis peregrinationibus, acceſsione nouorum prouentuum redditas auctiores. Harum ſemina in Homeri Rhapſodijs ſparſa, quòd nullum non modo antiquiùs, ſed ne æquale quidem ſcriptum apud Græcos extiterit, vel ſaltim quod nunc cum eo comparari poſsit, tam clarum eſt, quàm quod clariſsimũ. Cùm igitur tã cõſtãter doctrina de interitu, in ijs, qui in aquis extinguuntur, retenta; & illa ne dum apud alios Auctores, ſed vulgò, vt ſuo loco dicimus, obtinuit; non abs re erit inueſtigare, an nata hæc ſit in Oriente, & exinde in Græciam, vt ſuſpicari licet, deducta? Ioſeph Hebr. contra Apion. lib. 9.

Porrò cùm Stoicos fautores habuerit, cur non ad Phœnicios referenda? ſi eorum auctor Zeno, vel quòd patrem Cleantem Tyrium habuerit, ſi Epiphanio credimus; vel quod Citienſe oppidum, vbi ipſe ortus, à Phœnicibus colonis, vt ait Suidas, frequentatum fuerit, Phœnicius, & ob gracile, paruumque corpus, Phœniciolus etiam nominabatur. vnde illud Ciceronis. *Poſtea tuus ille Pœnulus (ſcis enim Citiæos clientes* Epiphan. lib. 1. ad. uerſ. Hæreſ. Odd. 5. Suid. in Zen. Cic. lib. 4. de Finib.

tuos

tuos à Phœnicia profectos. Et quidem Phœnix homo apud venuſtiſsimum ſcriptorē Achil-
Achil. Tat. l.b.3. de Clitoph. et Leuc. amor lem Tatium, Clitophon eſt. hic tamen elapſo naufragio, cum ex ſocijs, quos tempeſtas diſperſerat, ſolùm Cliniam cariſsimum ſodalē crederet amiſsū, ijs verbis conqueritur, quibus apertè indicat, animæ ei accidiſſe interitum. *τοῦτον ἐκ πάντων κατίσχεν ἡ θάλασσα, ἵνα μὴ τὴν ψυχὴν μόνον ἀπολέσῃ, ἀλλὰ καὶ τὴν ταφήν. ſolus quippe ex omnibus, maris ſæuitiam expertus, quò non modo ipſius animæ, ſed etiam ſepulchri pateretur iacturam.*

Philo Hebr. lib. in Flacc. in fin. Apud Hæbreos huius erroris veſtigia ſupereſſe adhuc videntur: & Philo, illius gentis alter Plato, quamuis caſtigatè hac in re locutus, ſcriptum tamen reliquit; Βέλτιον ἄρ' ἐν συγκρίσει κακῶν, ἡ κατὰ γῆν τῆς ἐν πελάγει φθορᾶς, ἐπειδήπερ ἀνθρώποις καὶ πᾶσι χερσαίοις οἰκειότερον ἡ φύσις χωρίον ἀπένειμε γῆν, οὐ μόνον ζῶσιν, ἀλλὰ καὶ ἀποθανοῦσιν, ἵν' ἡ αὐτὴ καὶ τὴν πρώτην ὑποδέχεται γένεσιν, καὶ τὴν ἐκ τοῦ βίου τελευταίαν ἀνάλυσιν. *Satius eſt, ſi mala inter ſe comparētur, in terra, quàm in mari perire, quandoquidem hominibus, & cæteris terreſtribus locum proprium natura terram aſsignauit, vbi non ſolùm viuant, ſed & moriantur, vt quæ naſcentes excipit, eadem fato functos recipiat.* Quid enim illa ſibi vult redundātia? ἀνθρώ-

ποις

ποις, καὶ χερσαίοις. Nũ & noſtris Neapolitanis, qui ciues naufragio amiſſos dolent, equorum cateruas, quas ad vſum belli Claſsis deferebat, ſimulq. vndis demerſas vidit, eodem doloris ſenſu lugere par ſit? Ego quidem nonniſi de hominibus illud Græcorum dictum ſcio, χερσαῖος ὢν, μήποτε θαλάττιος γένῃ *cùm ſis terreſtris, maritimus ne ſias*. & in Philone dubitationem inijcit iſta hominum, & iumentorum in eiuſdem mortis genere ſimilitudo: & timendum, ne fortaſſe in hoc nimium platoniſſet. Sanè in Vita Moſis deſtinatam infanti necem in aquis, περιαλγεστάτῃ ἀπωλείᾳ; ſuſpecta quadã cõmiſeratione, deſignat. Augetq. ſuſpicionem Rabbinicum illud ſcriptum, quod de Vita Moſis publicauit Clariſſimus Gaulminus; nam poſt edictum *de proijciendis in Nilum pueris*; cùm, ſæuiente Rege, ineuitabile contingeret fatũ, minimè in aquis, iuxta Regiam ſanctionem, ſed *ipſæ matres*, inquit, *recentes, & adhuc ab vtero rubentes partus in campis relinquebant*. De Moſis verò expoſitione peculiarem quãdam neceſsitatem ita exequendi tradit, quò 1 ſcilicet; *poſt tertium menſem Iocvbet* (hoc nomine Moſis matrem appellat) *partum Rex intelligit*. Prodita ergò, edicto parere cogitur. quod Ezechielus in Ἐξαγωγῇ Tragœdia apud Cle-

Philo de vita Moſ. lib. 1.

Rabbi anonym. de vita Moſ.

Ezech. in Trag. Exagog.

Clement. Alexand. ita habet:

Ἐν ταῦθα μήτηρ ἡ τεκοῦσ' ἔκρυπτέ με
Τρεῖς μῆνας, ὡς ἔφασκεν, κ' λαθοῦσα δή,
Ὑπεξέθηκε, κόσμον ἀμφιθεῖσά μοι
Παρ' ἄκρα ποταμοῦ, λάσιον εἰς ἕλος βαθύ.
Ibi miſerta caſta me abſcondit parens,
Quæ tertiò poſt menſe prodita arripit
Me rurſus, atque inuoluit ornatu nouo,
Iuxtaq. ripam ponit in paludibus.

Quò etiam referre poſſum Diuini Volumi-
Exod.c.2.3. nis verba: *Cumq. iam celare non poſſet.* Et ni ita fuiſſet, Moſe reperto, vt rem nouam non ſpectauiſſet, nec commiſerata eſſet Aegypti Regis filia. Cæterùm Rabbini hoc Opuſculum nugis refertiſſimum, vt omnia huius farinæ, & præſertim in ijs, quæ ſanè portentoſa ſuggerit de infantibus, qui in campis erãt relicti, miſſum faciamus: & Hebrçæ gentis hæreſeos aliunde repetamus notitiam.

Fuiſſe enim inter hos homines, & qui Phariſæi, & qui Saducæi dicerentur, nemo ignorat. Hi negabant reſurrectionem, mortales eſſe animas arbitrantes, atque vnà cũ corporibus interire: & cum eis Samaritæ
Suar. Serm. 4 cap. 31. Ioſeph. Iud. Antiq. lib. 2. c. 12. & lib. 18. cap. 2. Zonar. de Iud. 189. conſentiebant. De Saducæis clarè Ioſephus *ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν ἀναιροῦσι*. quod paſſim Scriptores alij teſtantur: pro quibus ſufficiat Lyrani teſtimonium; *Inter Iudæos quidam*

dam erant, qui dicebantur Saducęi: qui dicebant animam hominis eſſe mortalem, & per conſequens negabant reſurrectionem: Quam Pauli Apoſtoli æuo Phariſęi affirmabant, docebantq. Verùm ex Hebræorum libris multa de hac re ſcitu digna producuntur; nam fuiſſe qui priorem opinionem aliquo modo tẽperarent: & qui poſteriorem veritatem corrumperent; cùm crederent alij iuſtorum tantummodò eſſe reſurrectionem; alij quòd ex impiorum numero aliqui reſurgerent; alij non item. Dauid Chimchi magni nominis inter Hebræos, ſcriptum tribuitur: quod ſic Latinè fuit verſum: *An omnium mortuorum futura ſit reſurrectio controuertitur inter ſapientes noſtros. At ſtylus ſeu curſus Thalmudicus hùc ferè inclinat, quòd reſurrectio tantum futura ſit iuſtorum, non verò improború.* Porrò qui nuper in Thalmudicis libris ſunt verſati, iſtud velut vulgatiſsimum agnoſcũt. quod quidem, etſi nonnemo in alium ſenſum vertere conetur, tamen & qui ſcripſerunt de Sectis Hebræorum, idem prorſus, imò & huius generis peiora docuerunt. Sunt autem, inquiunt, de reſurrectione mortuorum tres opiniones, vna eſt eorum, qui credunt omnes reſurrecturos, ſiue boni, ſiue mali ſint. Altera eorum, qui iuſtos pro-

Lyra in Matth. c. 22

Act. Apoſt. 23. 8.

D. Chim. comm. in Pſal. 104. 20

Ioſi. Druſ. de Trib. ſect. lib. 3. cap. 10.

boſq; tantummodo reſurrecturos opinantur & malos nequaquam. Hac de re videndus. R. Dauid Pſalm. 104. 20. idem Pſal. 1. ad locum; *ideo non reſurgent, &c.* vbi ita ſcribit; *Iuſti poſt mortem ſuam reſurgent, ſed improbis non eſt reſurrectio, verum morietur anima ipſorum vnà cum corpore ipſorum.* Rabbi Moſes ex Cochæi verſione in notis ad Sanhedrin; *Conſequens eſt vt probi omnibus liberati corporeis labibus, & impedimẽtis, qualia ſunt cibus, potus & ſimilia his, ad ſummum illud gaudium, quod in Dei viſione conſiſtit in æternum poſsidendum admittantur. Hanc eſſe τὴν ἀνάστασιν ſummam pœnam eſſe illud exterminium quod lex comminatur, vt anima hominis mali non ſit viua. Abſurdum eſſet dictu, malos victuros, qui viuentes mortui ſunt.* Tertia tenet iuſtos omnes, & partem improborum reſurrecturos. Libellus eſt qui inſcribitur, *Fides Iudæorum.* In eo ſcriptum habetur diſertè ex Druſij verſione. *Videtur quod reſurrecturi non ſint niſi omnes iuſti, & quidam improbi.* In Comm. ſuper lib. *Aboth.* 1. *patrum* fol. 53 *Multi ex ijs, qui in puluere dormiunt excitabuntur, non tamen omnes. Ideo dicit de mortuis quod reſurrecturi ſint. Nam ſtatim in hora mortis decretum ſit de ipſo, vtrum rediturus ſit, &*

Rabbi Moſes apud Coch.

Druſius de trib. ſect. ibi.

victurus in futurum. Sunt plura quæ non eſt animi huc transferre. vide ſis Excerpta ex vtriuſq; Gemara & ſui Interpretis Scholia. Non omittendus alter Ioſephi locus, qui aliam huic genti dementiam appingit, vnde Stoicorum παλιγγενεσία propagaſſe videtur. ψυχὴν δὲ πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ τῶν φαύλων, ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. *Animam* (inquit) *omnem quidem incorruptam eſſe, tranſire autem in alia corpora ſolas bonorum, improborum vero interminabili ſupplicio cruciari*. Hoc eſt, quod ab initio monebamus, errores omnes Orientis in Græciam transfuſos. quidquid delirarunt Græci, fuiſſe prius Syrorum, & Chaldæorum inſaniã, & quod inquit Stromateus, à barbara deſumptum Philoſophia. Quin, & Homerum, ad quẽ hæc noſtra referimus omnia, etiam ex Oriente deprompſiſſe magnus Vir iteratò admonuit. Ecce Cleanthis, Chryſippi, & totius Stoicorum Scholæ circa durationem animarum, opinionis origines, & priores fontes inuenimus. Græci, vt eorum mos erat, & meminit Iuſtinus Martyr, ſiue odio in Hebræam nationem, ſiue ne ab alijs didiciſſe faterentur, diuerſis vocabulis rem obuelarũt, alijsq; rationibus, ne dicam ſophiſmatibus, muni-

Excerp. ſie Gemar. Gach. cap. 11.

Ioſeph. antiq. Iud. lib. 3. cap. 7.

Clem. Alex. Stromat. lib. 5.

D. Heinſ. in Nonn.

Iuſt. Mart. adhort. Græc.

uerunt, & vt vana erant inflati ſapientia, ſapiẽtum animas cæteris validiores, & poſt corpus ſolas viuere affirmabant. Eumenius Τὴν δὲ ψυχὴν γεννητήν τε, καὶ φθαρτήν. οὐκ εὐθὺς δὲ τοῦ σώματος ἀπαλλαγεῖσαν φθείρεσθαι, ἀλλ᾽ ἐπιμένειν τινὰς χρόνους καθ᾽ ἑαυτήν. τὴν μὲν τῶν σπουδαίων μέχρι τῆς εἰς πῦρ ἀναλύσεως τῶν πάντων. τῶν δὲ ἀφρόνων, πρὸς πόσους τινὰς χρόνους. animã videlicet natam, & mortalem eſſe, non ſtatim tamen interire, ſed manere apud ſe ipſam; prudentum quidem vſque ad conflagrationem omnium, ſtultorum ad breue aliquod tempus. Dionyſius Halicarnaſſæus τῶν ἀγαθῶν, maniſeſtè magis cum Hebræis conſentiens, Εἰ δὲ ἄφθαρτον μέχρι τοῦ παντὸς τυγχάνουσιν αἱ ψυχαὶ ἡμῶν, ὅσαι, καθάπερ οἴονταί τινες, ἢ χρόνον μετὰ τὴν ἀπαλλαγήν, τινὰ τῶν σωμάτων ἐνδιαμένουσι, μήκιστον μὲν αἱ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ἐλάχιστον δὲ αἱ τῶν κακῶν, ἀποχρῶσα τιμὴ φαίνοιτ᾽ ἂν τοῖς ἀρετὴν ἀσκοῦσι. *Sin autem incorruptibiles in perpetuum Animæ, vt quidam cenſent, aut tempus aliquod, poſt ſolutionem corporum, permanent, longiſſimum quidem bonorum virorum, breuiſſimum malorum, ſufficiens honos habetur virtutis cultoribus.* Hebræos homines illuſit proculdubio Scripturæ locus: quem ne rectè caperent, eorum ingeniorum nequitia reſiſtebat. Facile eſt iniquis de animi interi-

Eumen. apud Euſebiũ

Halicarn. Hiſt. lib. 8.

tũ ſibi adblandiri, dignoſq; ſe iudicare quorum nihil poſt mortem ſuperſit, vt iudicij pœnas effugiant. optimè bonus Philoſophus, ού βούλεται γὰρ ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὑτοῦ ψυχὴν, ἵνα μὴ ὑπομένῃ τιμωρούμενος. *non enim vult, qui malus eſt, ſibi animum immortalem eſſe, ne ſcelerum vltionem patiatur.* Etenim cum ſcirent, ſumma fuiſſe improbitate reos, quos Deus in eluuionis aquis demerſerat, apprehendebant pariter protuliſſe deinde diuinum Oraculum, ex ſeptuaginta Interpretum tranſlatione. Ἐξαλείψω πᾶν τὸ ἀνάστημα, ὃ ἐποίησα ἀπὸ προσώπου πάσης τῆς γῆς. & retinuit antiqua Latina verſio, quam duo Eccleſiæ lumina Auguſtinus, & Ambroſius ſunt ſecuti; videlicet: *Delebo omnem reſurrectionem carnis, quam feci à facie terræ.* Ad horum hominum ſenſum videntur, quæ in codice Sanhedrin Hebræi retinent verba; ſic Latinitati donata: *Qui diluuio periere, vitæ futuræ exortes erunt, neque etiam ſiſtentur iudicio. Q. D. Non iudicabit ſpiritus meus de homine in æternum.* Qui Hebraicè ſciunt, in ſuperioribus verbis; ἐξαλείψω πᾶν τὸ ἀνάστημα. quòd vocis יקים *iachim* thema, primariò ἀναστῆναι ſignificet: & proinde à Septuaginta ἀνάστημα interpretari, & ab alijs, quod idẽ eſt ἀνάστασιν, καὶ ἐξανάστασιν, & Bea-

Hierocles in aur. Pythag. Carm.

Geneſ. cap. 7. verſ. 4.

Sanhedrin cap. 11. n. 3.

Gen. cap. 6. ver. 3.

Gen. cap. 7. verſ. 4.

S. Ambr. de Noë & Arca. cap. 13.

tus Ambroſius iuxtà huius vocis ſenſum, præter multa, hæc habet ad hunc locum gloſſemata: *Delet Deus reſurrectionem carnis tanquam apicum ſcriptionem, quo declaratur quod ſuperfluam hominum natiuitatem propter impietatem eius deluit, ſpecie litterarum: ſubſtantiam autem, & conuerſationem generis ſeruare humani, voluit perpetuitate tabularum, vt ex ea ſemen pullularet. Cui ſententiæ conuenire etiam illud videtur, quod ait, Delebo, inquit, omnem reſurrectionem carnis. Reſurrectioni autem communi vſu naturæ contraria videtur purgatio, quia purgatione reciditur, & reprimitur reſurrectionis luxuria*. Hactenus Ambroſius. Verùm enimuerò hodiè ex vulgata editione vera lux, etiam ex nitidioribus Hebraicæ linguæ fontibus, laudato Geneſeos loco acceſsit, cum non ἀνάστασιν i. e. *reſurrectionem*, ſed *ſubſtantiam* legamus, *& omne viuens* Pagninus explicet.

Pagnin in Lexico.

Imò ampliùs quotquot ſunt Interpretes, eos, qui eluuionis nece perierunt, à facie tantùm terræ deletos, adnotant; quòd eorum animæ adhuc ſuperſint. Et textus Codicis Sanhedrin, ne quid diuerſum ſonet, eius Interpres in ſuis Notis conatur efficere.

Sanhed. c. 11 עו 3.

Verùm, cùm in libris Rabbinorum nihil vnquam ſolidum reperies; tum nec quid

ſit

ſit *conſortem eſſe futuræ vitæ*. nec quid; *haud ſiſti in iudicio*, facilè deprehendes. *Qui negant reſurrectionem* (in eodem libro legitur) *ÿ vitæ æternæ exortes erunt*. Sed quare tanta pœna afficientur? explicat Gemara; *Iſte enim Dei mos eſt, vt menſuram pro menſura reddat.*

Igitur exortem eſſe futuræ vitæ explodit veram reſurrectionem, ſicut vera reſurrectio ab impijs negari contingebat. Ita etiam alterius phraſis vacillare interpretationem ex eodem Capite intelliges. *Propterea non ſtabunt impÿ in iudicio, hoc eſt ſeculum diluuij, & peccatores in cætu iuſtorum: hi ſunt Sodomæi.* qui tamen cum exortes ſint proborum conſortij, ſtant nihilominus in iudicio: quod in necatis ob diluuium expreſsè negantes, eorùm ἀνάστασιν excludere videntur. Cæterùm Hebrȩos, ſiue eorum quamplurimos in hunc ſcopulũ impegiſſe non eſt dubitandũ; quod ſatis clarè euincit vetuſtiſsimus, ſed commentitius, & Iudaicarum nugarum refertiſſimus ſcriptor Enoch. Habes eius locũ ex primo ſui Operis libro apud Scaligerum in notis ad Euſebium, vbi περὶ Γρηγόρων, & de Angelis mẽtio. Narrat Apocryphus Auctor, quòd poſt Gigantum progeniem, quæ in terris patrarentur facinora, cùm maio-

Pſalm. 5.

Enoch. de Angelis.

res

res Archangeli ad Dominum retuliſſent : Τότε ὁ ὕψιστος εἶπεν, καὶ ὁ ἅγιος ὁ μέγας ἐλάλησε, καὶ ἔπεμψε τὸν Οὐριὴλ πρὸς τὸν υἱὸν Λάμεχ λέγων. πορεύου πρὸς τὸν Νῶε, καὶ εἶπον αὐτῷ τῷ ἐμῷ ὀνόματι, κρύψον σεαυτὸν καὶ δήλωσον αὐτῷ τέλος ἐπερχόμενον, ὅτε ἡ γῆ ἀπόλλυται πᾶσα, καὶ εἶπον αὐτῷ, ὅτι κατακλυσμὸς μέλλει γίνεσθαι πάσης τῆς γῆς, ἀπολέσων πάντα ἀπὸ προσώπου τῆς ξηρᾶς· δίδαξον τὸν δίκαιον τί ποιήσει τὸν υἱὸν Λάμεχ, καὶ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς ζωὴν συντηρήσει, καὶ ἐκφεύξεται δι' αἰῶνος, καὶ ἐξ αὐτοῦ φυτευθήσεται φύτευμα, καὶ σταθήσεται εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος. Quę ſic ad verbũ. *Tunc altiſsimus effatus & ſanctus magnuſq; locutus eſt. miſitq; Vrielem ad Lamechi filiũ, inquiens. Vade ad Noemum eiq; meo nuncia nomine, occulta te, & explica finem aduenientem, quo omnis terra peribit. ſignifica ei quod eluuio futura eſt per vniuerſam terram, perdens omnia à facie aridæ. Doce iuſtum Lamechi filium, quid facere habeat, ſeruabitq; animam ſuam in vita, & liberabitur in ſeculum : & ex ipſo plantabitur plantatio duratura in omnes generationes ſeculi ;* Phraſis eſt ſcripturæ, & Helleniſtica dialectus, vt quibuſdam placet, animam pro vita, item pro ipſo homine ſumi. Sic explicant in

Ion.c.2.6. tempeſtatibus Ionæ, & Pauli. Apud Ionam: περιεχύθη μοι ὕδωρ ἕως ψυχῆς. *circũdederunt me*

aquæ,

aquæ, vſque ad animam meam. & apud Lucam. ἀποβολὴ γὰρ ψυχῆς οὐδεμία ἔσται ἐξ ὑμῶν πλὴν τοῦ πλοίου. *amiſsio nullius animæ, erit ex vobis, præter quàm nauis.* Sed aliter nothus Enoch, qui animam à vita expreſsè diſtinguit, καὶ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς ζωὴν συντηρήσει. Et quia viri iuſti, δίδαξον τὸ δίκαιον, quod ex induſtria non tacet, duraturam eam enunciat. καὶ ἐκφεύξεται δι' αἰῶνος, & propterea ex aquarũ periculo ſeruandam innoxiam. Quid ni iſta de hoc Scriptore iudicemus, ſi immaniora quædam hinc delapſa deliria? quæ in Rabbinorum libris legi poſſunt; modò tantum nobis ſuperſit ſtomachi, vt velimus ediſcere. Exceptos enim fabulantur etiam Dæmones in arca à Noe, ne eandem cum animantibus pœnam darent. In antiquo apud Hebræos auctoritatis libro Bereſith Rabba ſect. 31. ea habentur, quæ ſic Latinè ſonant: *Etiam ſpiritus ingreſsi ſunt arcam. ſicut dictum eſt ex omni viuente: ea ſcilicet quibus creatæ ſunt animæ, & non ſunt creata corpora.* Item apud Rabb. Rechai, ad illud ſcripturæ. *ex omni viuente.* interpretatur: *Patres noſtri felicis memoriæ, vt multiplicentur Dæmones. Præcepit enim illi Deus, vt exciperet eos in arcam. Conueniens autem eſt interpretari; nam impoſsibile erat illos permanere*

Luc. Act. Ap. cap. 27. 22.

Lib. Bereſ. Rab.

Rab. Rech. Gen. cap. 6.

nere in loco ſuo, qui eſt aer ſub orbibus elementorum, eo quod decretum erat perdere omnem carnem, in qua erat ſpiritus vitæ. Hoc autem completitur quidquid habet animam ſe ſe mouentem, quæ eſt ſuper terram, additq; inſuper ſub cœlis, quoniam decretum erat diluuium etiam aduerſus creaturas, quæ ſunt ſubter elementa, hoc eſt Dæmones. Sed apta eſt ad hoc propoſitum, quamuis non admodum antiqua ſit, hiſtoria; quam ex Rabbinicis libris eruit VVilhelmus Schiccardus. *E Corduba Hiſpaniæ* (profert Cabal R. Abrah. Leuit. Hebraica verba, ab eo ſic in Latinum verſa) *ſoluebat Gubernator quidam Claſſis, nomine Demachin, quem præfecerat Rex Saracenicus Ebedalrachmar Alnazar, & pertingens ad littus Paleſtinæ offendebat nauem, in qua quatuor eruditi Iudæi Sebaſten proficiſcebantur: eam ſubegit, & ligauit inter cæteros etiam R. Moſen, patrem R. Chanochi, vna cum vxore ſua. cum autem etiam valdè pulchra eſſet, conabatur ille Admiralius, vt vocant, eam vitiare per vim. Clamabat ergo ad maritum Hebraicè, an etiam ſubmerſi olim in extremo die æquè, ac in terra ſepulti ſint reſurrecturi? reſpondit ille ex Pſalm. 68. v. 23. Dixit Dominus è Baſan reducam, reducam è profunditatibus maris. Itaq; hoc verſu audi-*

Schicc. in Iur. Reg. Heb. c. 6.

to, præceps exilÿt in mari ſubmerſa eſt, & morte caſtitatem redemit. huc vſque Schiccardus. Sed alteram huic conſimilem hiſtoriā, verùm antiquitate, & eorū, qui periere numero longè præſtantiorē, nō eſt cur adijcere non debeamus; cum de eius fide, in ipſo Iudaici iuris corpore conſtet, in Maſſechet, ſiue volumine gittin, & in Pereq; hanneziqin. Refert etiam Iſaacus Abuhaf in Candelabro Lucis, & Latinis verbis exſcripta, hæc eſt. *Quadringenti Iuuenes, & Puellæ Hebræi captiui* (accidiſſe cōmemorat poſt Hieroſolymas, ſub Tito Veſpaſiano euerſas) *ad turpitudinem, mari vehebantur; quod cum percepiſſent; dixerunt ad inuicem, Puellæ. Nunquid ſi nos demerſerimus, habebimus vitam in futuro ſeculo? reſpondit illarū ſenior; Dixit Dominus: ex Basàn redire faciam, redire faciā ex profundis maris: Ex Basàn, ideſt ex ipſis Leonum dentibus. ex profundis maris, ideſt quamuis immergantur, & ſuffocentur in mari: ſimulac hoc audierunt Puellæ, vnà ſurrexere, & in medium mare ſe proiecerunt. Dixerunt tunc ad inuicem Iuuenes; Si hę, quarum turpitudo via naturali perficitur, vt illam effugerent, hoc fecere, quanto magis nobis id incumbit, ſiquidem nobis ſunt abuſuri via minimè naturali: è quibus dictis omnes itidem in*

Iſaach Abuh in Cādelab. Luc. Lucerna 5. in ſummā 3. p. 2. cap. 6.

mare

mare ſe proiecerunt. Et de ſimilibus intelligendũ illud Scripturę; Quia propter te occidimur tota die, reputamur ſicut oues occiſionis. Mulierum hæſitatio id, quod diximus euincit, & ni vulgò iſtud animi exitium timeretur, nec vir vxorem, nec ſenior mulierum reliquas, adducto tam inſigni Scripturæ teſtimonio, nec ad aliud aſtruendum, inſpirato diuinitùs oraculo, in re veluti dubia, animos confirmare opus fuiſſet. Certè niſi me fallit opinio, plura ſunt loca in ſacris Libris, in quibus iſtã, vt vulgarẽ allucinationẽ poſſumus ſubodorari; tũ quia ſacra Scriptura haud dubię veritatis magiſtra, illã ab animis mortalium, ſalutaribus dictis ſæpiùs auellere conatur; tum etiam quòd pro hominum captu, ijs aliquando dicendi formulis vſa ſit, quæ niſi admiſſo hoc vulgi ſenſu, clarè, & rectè intelligi nequeunt. Prioris effati exemplum ſit illud Apocalypſeos vbi; de corporum reſurrectione, in ſupremo totius mortalitatis iudicio, inquit Ioannes: καὶ ἔδωκεν ἡ θάλασσα τοὺς ἐν αὐτῇ νεκρούς, καὶ ὁ θάνατος, καὶ ὁ ᾅδης ἔδωκεν τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς, καὶ ἐκρίθησαν ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν. *& dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors, & infernus dederũt mortuos ſuos, qui in ipſis erant: & iudicatum eſt de ſingulis, ſecundùm*

Apocalyp. cap. 20. 13.

cundùm opera ipſorum. Quì factum, vt ſeorſim, & primitùs de mari acta ſit mentio? Viegas ex recentioribus Interpretibus, *Mare*, inquit, *hoc loco propriè accipiendum arbitramur, vt daturum dicatur corpora eorum, qui eo ſubmerſi perierunt.* Rectè ſanè, ac iuxtà litteram. Sic Arias Montanus τοὺς ἐν αὐτῇ νεκρούς. *eos qui in eo mortuos*. Sed cum tandem cadauera omnia ad litus proijciantur, & caro ſit, vt cum Aphro loquar, *caduca in originem terram*: quænam corpora mare dabit? An ſatisfaciet nimis ingenioſa docti Viri expoſitio, *quòd quædam præſertim ſint corpora ab incognitis, & nunquam fortaſſe in terram venturis piſcibus deuorata*? Nihili certè fuiſſent Apoſtoli, ac Theologi verba, niſi commonefacere nos vellet, eos mortuos daturum mare, quos vndis abſorptos necauerat, vt proinde minimè aboletos ſignificaret; ac neceſſarium fuiſſe documentum, cùm falſa in aduerſum plus ſatis inualuiſſet iſthæc opinio.

Blaſ. Viegas comm. in Apocalyp. cap. 20.

Arias Mõt. in Nou. Teſt.

Tertull. lib. de Reſurr. carn.

F. Ribera in Apocalyp. cap. 20.

Eadem mens diuino Scriptori in ijs, quæ ſubdit de Inferno. Clarè ex Ribera: *Infernus dedit etiam mortuos ſuos, ideſt corpora, quæ abſorbuerat, & in infernum deſcendiſſe putabantur, vt corpora Dathan, & Abiron, & Antichriſti & Pſeudoprophetæ, & aliorum multorum*

F. Ribera ibid.

rum

rum, qui in hiſtoriјs leguntur huiuſmodi morte perіјſſe. Quibus in verbis ſi aliquid deſiderandum, illud eſt, quòd Helleniſticè ᾅδης *infernus*, vt Hebræa vox שאול *ſceol*. cui reſpondet, cadauerum ſtabula, abdita, ac profunda terrarum ſignificet: & ita hìc capi à Ioanne, non autem pro loco damnationis, monendum fuiſset, licet vox eadem, in eodẽ Capite diuerſimodè alioquin explicetur. Riberam exagitat Viegas, contendens Apoſtolum de ſolis animabus ex Inferno prodeuntibus, exponendum. quàm perperam vnum conuincet Tertulliani teſtimonium: *Quod ſi mortuus corpus eſt. corporum erit reſurrectio, cum dicitur, mortuorum*.

Tertull. lib. de Reſurr. carnis.

Sẽſus igitur eſt; omnes homines reſurrecturos. Nã, ſi quotquot vita functi sũt Mors ipſa necauit, cùm hæc ſuos datura ſit mortuos, ſingulos proculdubio exhibebit; & proinde omnes reſurgent. Verùm, qui aquis, qui terra obruti perierunt, vulgò minimè reſurrecturi exiſtimabantur. ne huiuſmodi remaneret credulitatis ſuſpicio, quos mare, & quos terra necauerat, eos etiam in reſurrectionem venire ait: idq. ſpeciali, at nequaquam ſuperuacanea aſſertione voluit dictũ. Haud cognita hæc, quam ſoli nos detegimus ratio acutiſsimo alioquin Interpreti Ri-

beræ. Vidit tamen plus cæteris, qui Commentaria in hunc locum ſcripſerunt; cùm mortuos à pluſquã mortuis diſtinguens, ad illam proximè acceſſerit, vt ex ſequentibus verbis liquet: *Mors dedit mortuos, quos videlicet ipſa, vel naturaliter, vel violenter conſumpſit in terra. Hos morti attribuit Apoſtolus, quoniam tantùm mortui ſunt. Reliqui, quos vel terra, vel mare abſorbuit, vt pluſquam mortui fuiſſe videantur.* Ribera ibid.

Hæc ſatis ex ijs, quæ hactenus diximus, enucleata coſpiciũtur. Sed ſuperſunt aliqua, vnde mirum in modum illuſtriora reddi poſſunt; quæ in aliud Caput, velut aptiorem in locum differimus. Huſaſ. Diſſert. cap. 11

Nunc ad alterã propoſitionis noſtræ partem, vt ſcilicet, iuxtà hunc vulgi ſenſum, occurrat quandoq. in Scripturis ſermo. Ecquis, niſi huc referat, illud Dauidis explicabit; *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquę vſque ad animam meam. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me?* Pſ. 68. verſ. 1 ibid. verſ. 3. Vulgatiſsimũ quippe apud Hebræorum Sapientes Axioma; *Loquitur lex phraſibus filiorum hominis*. Sanè de animæ interitu loquitur Pſalmographus, ſed de ea, quæ eſt ob culpam, Sacris ſcripturis, ac Theologorum doctrinis abundè teſtata. Non omittenda Excerp. Germacoch. c. 10. nu. 3.

 ſunt,

Ant. Agell. Comment. in Pſal. ſunt, quæ ad hunc locum ex Sanctis Patribus afferat eruditus, & conterraneus noſter Interpres: *Beatus*, inquit, *Athanaſius, voces Adam primi Parentis arbitratur; qui ſaluari ſe precetur, quòd peccatorum gurgite penè ſit merſus. itaq; aquas intelligit peccata; alij tentationes, & immiſſas in animum cogitationes, quę ad peccata mortemq. producunt.* & ad v. 2. itidem hæc habet Athanaſij verba, ταῦτα γὰρ ἡ ἀνθρωπεία ἐπεπόνθη φύσις κατενεχθεῖσα διὰ τῆς ἁμαρτίας εἰς τὸν θάνατον. *Hęc humana paſſa erat natura, per peccatum in mortem deiecta.* De hac morte eſt illud Apoſtoli; καὶ ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως, *& regnauit mors ab Adam, vſque ad Moſen.* S. Paul. epiſ. ad Rom. 5. ver. 14. Hic, vt τὸ μυστηριῶδες non taceam, cùm aquis moriturus, proijcitur in flumen, nedũ ſaluus abſtrahitur, ſed educatur ad maxima: factus enim Moſes ſui populi, hoc eſt ab aquis abſtrahens, illum ab Aegypto eduxit, & lege à Deo accepta, huiuſce mortis regnũ exturbauit. Modus igitur dicendi inde trãſlatus, quòd vulgò exiſtimaretur, aquarum pœna animos interire. Apage, hoc probaſſe Prophetam; imò palam id deteſtatur. Siquidem poſt aqueum illud alijs falsò opinatum exitium, nulla vitæ ſpes ampliùs. hic optat, rogatq; ſeruari. *Non me demergat* Pſalm. 68. verſ. 16.

tempe-

tempeſtas aquę, neque abſorbeat me profundũ, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Nec, quòd aquarum vis dicatur, in animam penetraſſe, ſalus, quæ ipſa eſt Dei omnipotentis gratia, & ſine qua poſt lethalem noxam, ſibi ad reſurgendum homo non ſufficit, deſperatur.

Et, ne deſit in altero mortis genere aliquod exemplum, huiuſmodi erunt illa verba Pſalterij: *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes*. Quot quot enim ſunt Interpretes, zelo diuinæ iuſtitiæ imprecari pœnam, qua Dathan, & Abiron perierunt, exponunt. Hac imprecatione improbos ex eorũdem opinione deterrere Propheta voluit; quòd, cùm omnigenę abolitionis exitium, & irati Numinis vindictam, hoc mortis genere timerent; idem pœnitentiæ remedio præcauere ſatagerent. Conſpirant in hunc ſenſum, præter hìc, & alibi dicta, Hebræa vox ישי *iaſei*, qua vtitur Pſalmiſta, cuius vi, vt adnotant Agellius, Lorinus, & peritiores illa lingua, ita hic locus explicatur: *Obliuionem illis inducat mors*, quod eſt. *obliteret eos Deus. qui, & viui defodiantur*. Nec dãnanda iſthæc Prophetæ indignatio; namq. *rationabilis eſt*, vt ait Tertullianus, *quę ex affectu diſciplinę eſt*.

Pſalm. 54. verſ. 16.

ישי iaſei. A. Agel cõ. in Pſal 54. Lorin. ibid.

Tertull. lib de Anim.

Poſſem plura huc aggerere, meq. de huius illuſtrationis vtilitate, merita iactatione proferre. ſed breuitati, & modeſtiæ conſulendum. Sitq. ſatis facem incendiſſe, qua quiſque ſibi præluceat; & poſſe hac in re æquos æſtimatores demereri.

Aegyptiorum monumenta excuſſa. Cap. VI.

Ab Aegyptijs piſces odio habiti, quibus & odij Symbolum. Locus Scripturæ declaratus. Παλιγγενεσίας *opinio in Aegypto obtinuit: hinc ad Græcos deducta. Antinous ab Aegyptijs; in gratiam Hadriani, vt Numen colebatur. In Vrbe Antinoi ſepultus cum luſorio nauigio. An in Nilo ſubmerſus interierit? Nauis, ſoſpitatis ſymbolum. Quid apud Aegyptios? Vrbis* Νεοφοιβοχρύσου*: eius emblema, & laus. Cur Deorũ, Heroumq. ſtatuas ſub nauigijs ſtatuerint Aegyptij. Aegyptiorum Hieroglyphicorum interpretandi ratio. Cæpa ſymbolum, in expiationibus fulguritorum adhibitũ. Cæleſtes animæ quatenus in generationem dicantur deſcendere: Porphyrius enucleatus.* Ὕλης σύστασις *aquea; & mare dicta. Curruum, quos Dijs Græci tribuerunt, origo. Nauem Soli pro curru antiquiores dediſſe. Sol, & Luna* σκαφοειδεῖς *ſecundùm Heraclitum. Naues etiam à Manichæis dicebãtur. Primũ, & cœleſte animæ corpus ſcaphæ comparatum: Moſis*

ſis infantia, & nominis etymon. Inſtrumentum, quo ex aquis ſaluus euaſit, materia, & figura. In Nilo cymbis ex papyro nauigatur. buiuſmodi nauigia à Crocodilis non infeſtari. Moſes in Aegypto claruit: & eius antiquitas. Aegyptiacæ ſcalpturæ interpretatio: hinc Oſeæ locus expoſitus. Antinoi Nauigiũ cur Luſorium ab Epiphanio dictum. Luſoriũ nauigium, & in quem vſum, pluribus declaratur. Nili fluminis imago. οἱ πήχεις Pueri Niliaci non ÿdem, ac Nani. Veteres numi Statius, Ouidius, Martialis, & Petronius explicati. Nilus pro Numine: in eo puerorum luſus. Iocoſa imago. Horatius non ſemel illuſtratus. Ludum à Iocis diſtingui. Phœnix arbor regionis nota.

NVnc videamus, an etiã Aegyptij ſymbolam in hunc veluti communem errorem contulerint? & qui in pluribus à recta ratione deſciuerunt, in hoc ſimiliter ſint decepti? Et quidem, cùm eorum monumenta percurro, vt pauca ſuperſunt, eaque hieroglyphicis inuoluta; ſic certam rerum notitiam præbere nequeunt. Indicabo tamen, quæ huc transferenda videbuntur: & præ cæteris Plutarchi locum, vbi, cur Aegyptij à piſcibus ſe abſtineant? inquirit; & huiuſce rei proferens causã, eandẽ veram eſſe agnoſcit. Τὸ περὶ τὴν θάλατταν ἔχθος *quòd Ma-*

Plutar. de Iſid. & Oſir.

Plut. Symp. lib. 8. q. 8.

re *odio habeãt*. Et in Quæſt. Cõuiual. latiùs exponẽs, ideo Mare odiſſe putat Aegyptios, quòd nimiùm illud exiſtiment, ὡς ἀσύμφυλον ἡμῖν, καὶ ἀλλότειον, μᾶλλον δὲ ὅλως πολέμιον τῇ φύσει τῷ ἀνθρώπῳ στοιχεῖον, *tanquã peregrinũ, & alienum à nobis elementum, omninoq. humanæ naturę inimicũ.* Nec quidquã, ſubdit Plutarchus, eorum, quæ gignit, & educat, purum, & accomodatum ſibi putant; cùm neque communi ſpiritu alantur; neque cognati cũ noſtro alimenti partem capiant; ſed qui reliqua omnia ſeruat, nutritq; aër, ijs perniicioſus ſit, vtpotè præter naturam, vſumq; & ortis, & viuentibus.

Plutar. de Iſid. & Oſir. Orat. 5. Pier. Val. lib. 31. Num. c. 11. verſ. 5. Clem. Alex. lib. 5. Stromat. Iulian.

Ex tam pertinaci odio, quo Aegyptij Mare, & maritima omnia proſequebatur, factũ eſt, vt Piſcis odij ſymbolum apud eos haberetur: quod Plutarchus, & Clemens Alexandrinus teſtatur; imò & mortis, vt in Pierij Hieroglyphicis erit videre. Et lux adeſt ex illis Numerorũ verbis, *Recordamur piſcium, quos edebamus in Aegypto gratis.* Nam, cùm nihili eſſent piſces apud Aegyptios, libera erat piſcatio, & abſque precio illis veſci Hebræi poterant: quod *gratis* in Bibliis dicitur. Hinc optimè (quod ex alia ratione concoquere non poteſt Vir doctiſſimus) reprehenditur Rabbi Auctor de Vita Moſis, cùm ridiculè

Gaulm. De Vita Moſis lib. 8.

diculè Aegyptios piſcationibus Iſraelem vexaſſe, & proinde ſecundam plagarum meruiſſe affirmet. Αἰγυπτιάζεσθαι videtur etiam Homerus; qui, vt Plato, & alij adnotarunt, quamuis in ipſo Helleſponti littore eſſent Græci, ad Hercũ cõuiuia piſces nõ adduxit. Plato de Repub lib. 3 Plutarch de Iſide & Oſir. Athen. lib. 1 cap. 25.

Porrò, ſi cum hoc vno, tanquam principio, alterum ex eodem Plutarcho deſumptũ coniungatur, τὸ ταῖς ψυχαῖς τῶν θανόντων ὅσαι διαμένουσιν, εἰς ταῦτα μόνα τὰ ζῶα γίνεσθαι τὴν παλιγγενεσίαν. hoc eſt; *Animas mortuorum non omnes ęuitatem ſortiri: item eas, quę non abolentur, nouo ortu in ea, quę Numinum loco venerantur, redire animalia*: maximè autẽ ex Aegyptijs, Græcos habuiſſe τά τε ἄλλα, καὶ τὸ περὶ τὴν μετενσωματώσεως τῆς ψυχῆς δόγμα. *cum alia, tum dogma de migratione animę in corpora*, refert Stromatæus; idemque apud Aeneam Gazzæũ antiquum ſcriptorem legitur: Conſequens erit, vt cùm igneam etiam eſſe animam exiſtimauerint, quod mox indicabitur, pari facilitate in huiuſmodi dementiam de interitu animorum in aquis, conſenſiſſe dicamus. Porph. de abſtinent. Plutarch. de Iſid. et Oſir. Clem. Alex. lib. 1. Stromat. Aen. Gaz. in Theophr.

Quamobrem, cùm vnicuique in Aegyptiorum Hieroglyphicis liceat diuinari, quod alij aliter interpretati ſunt, ego haud fortaſſe inani, ac improbabili coniectura, in nouũ

ſenſum traducens, huc transferenda cenſeo initium ab eo cultu accipiens, quo Hadrianus Cæſar Antinoum apud Aegyptum eſt proſecutus. Haud enim dubium, nedùm Græcos, ſed & Aegyptios, illo volente, Antinoum conſecrauiſſe, & pro gentium, morumque diuerſitate, non vnam vbique adhibitam venerationem. Ritu etiam peculiari in Aegypto colebatur, quod vetus Romæ inſcriptio deſignat; ΑΝΤΙΝΟΩι ΣΥΝΘΡΟΝΩι ΤΩΝ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩι ΘΕΩΝ ΜΟΥΛΠΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΠΡΟΦΗΤΗΣ.

Apud Grut. pag. 86.

Aiunt igitur Simulacro Antinoi in Aegypto nauigium adiunctum, quod diſertè ſcriptũ reliquit, pietate, & doctrina magnus Epiphanius; ὁ Ἀντίνοος ὁ μὲν Ἀντινόου κεκηδευμένος, καὶ σὺν λουσωρείῳ πλοίῳ κείμενος ὑπὸ Ἀδριανοῦ ὅπως κατετάγη. *Antinous in vrbe ſui nominis cum luſorio Nauigio ſepultus, ab Adriano in Deorum numerum relatus eſt.* Huius rei cauſam eò refert Scaliger, quòd Hadrianus ſcripſerit, dum ludicri cauſa (non id ſcripſerat ſi Spartiano fides) in Nilo nauigaret vnà cum Antinoo, ipſum Puerum in flumen decidiſſe. Sed falli Scaligerum admonuit Henricus Valeſius in Notis ad Excerpta C. Porphyrogennetæ: quæ nuper magno ſtudioſorum bono Græ-

Epiphan. in Anch. n. 108

Scalig. in Not. ad Euſeb. Chron.

Henr Valeſ. in Not. ad Porphyrogenn.

cè

cè & Latinè publicauit. Hoc idem magis fortaſſe dictum videbitur de Salmaſio. nam eruditiſsimus hic Vir ab Scaligero non eſt diuerſus. imo ampliùs inquit, *eamdem Nauem, qua delicatus Hadriani Antinous delicatè per Nilum vltrò citroq; laſciuiens vectabatur, cum ipſo in Vrbe Antinoi Hadrianum condidiſse, & conſecraſſe*. Valeſius ipſe putat, nauigio, tamquam proprio quodam Aegyptiorum Symbolo, ex eorum obſeruationibus ſumpta coniectura, ἀποθέωσιν adoleſcentis indicari. Mihi & illud ampliùs, velut huc faciens, conſiderandum; an eo mortis genere, quod aſſeruimus, interierit Antinous? quandoquidem Hadriano, qui in iuuenis amorem, licentia illorum temporum, perditè conceſſerat, ſidus quoddam viſum: & vt ipſe ex Antinoi anima illud extitiſſe, ac tùm primùm apparuiſſe credebat facilè; ſic familiares, idem dicentes, libenter auſcultabat. Aut enim hoc ex induſtria confictum, ne cùm mortuus in aquis eſſet, vt Hadrianus per litteras dixerat, animo etiam extinctus putaretur; aut potiùs cum iſthæc de eo fingi potuerint, vel ex hoc minimè Niloticis aquis demerſus. Et iſtud vero verius. Nam ſub expreſſa veritatis aſſeueratione ab Dione affirmatur, Antinoum, pro Hadria-

Salmaſ. in Notis ad Vopiſcum.

Valeſ. ibid.

Dion. in excerptis.

Porphyrogen.
Aur. Vict. in Hadriano.

Hadriano magicis operante, ſe deuouiſſe, & vbi voluntariam mortem ille obijt, cognominem eius honori conditam Ciuitatem. Præterea nec rationi videtur conſentaneũ, vt Ratis naufragium ſignet; cùm præcipuè reſpiciat vitæ ſecuritatem. Vt tutò enim vndoſa tranſiliantur vada, repertum inſtrumentum. Ita apud nos ſoſpitatis, non interitus ſymbolum Noë Arca: quam meritò in Dei omnipotentis gloriam, & potiſſimùm in Deiparæ laudem extollimus. item Chriſtianæ ſalutis, ac perennis felicitatis Petri Nauigiolum, in Pontificis annulo, vt retrò ſeculis, ſic ſemper veneratione ſuſpiciendum. Alia igitur, & ex Aegyptiorum myſterijs petenda ratio; cùm non tantùm in Antinoi ſtatua, ſi Valeſio credimus, ſed in quorumcumque Dæmonum ſimulachris, id apud eos obſeruatum. Clemens Alexandrinus, Αἰγυπτίων, οἱ μὲν ἐπὶ πλοίου, οἱ δὲ ἐπὶ κροκοδείλου τὸν ἥλιον δεικνύουσι. *Aegyptiorum alij per nauigiũ, alij per Crocodilum ſolem ſignificant*. Nauem Solis deſcripſit Martianus Capella, & pręter alia, quæ habebat ſymbola; *In eadem rate*, inquit, *fons quidam lucis ætheree, arcanis fluoribus*, ita emendat, & optimè Valeſius, *manans in totius naturæ lumine ferebatur*. Hæc verba nõ lego, quin Vrbanianum Fontem

Pier. Valer. Hierog. lib. 45.

Clem. Alex. lib. 5. Stromat.

Mart. Cap. de Nupt. Philol. lib. 2

tem

tem non memorem; qui in Nauis effigiem, Henr. Vaſeſ.ibid.
Sole hinc & illinc Virgineas vndas effundẽte, Vrbem æternis fluoribus recreat; & qui, vt Mardochæi vſurpem verba, *in lucem Solemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit*; vt non ſolũ in tot Sphyngibus, & Obeliſcis Aegyptiorum abſtruſam ſapientiã liceat admirari; ſed vel in nuperis Pontificię magnificentiæ monumẽtis: vt, quæ infra annectenda ſunt, euidentiùs indicabunt. Eſther c.10

De hoc Fonte illud obiter præſtat etiam inſerere, quòd, cùm æſtiuis, veſpertiniſque deambulationibus frequentiſſimum præbeat oblectamentũ; dũ ſimul, fallendi æſtus gratia, mecũ illac Amici doctiſſimi deambularent, atq; vnà meditaremur, ſi quid occurreret, quod, cũ Principis laude, vel pietatem, vel eruditionem hac ipſa in Naui prçſeferret; mihi quidem graphicum, atq; inſigne τῆς Νηοφοιβοχεlώνης, ſibi ſufficientis Virtutis viſum eſt Hieroglyphicum; ſibi enim Solis facem, ſibi aquas, quibus lacus ſternitur, adminiſtrat. At præclarum ea tunc viſũ eſt Symbolum Militãtis Eccleſiæ Viro Clariſſimo Leoni Allatio: qui, vt Græcè, & Latinè luculenter ſcribit, ipſa in Naui Eccleſiã, Põtificis Optimi opera, deuictis tempeſtatibus, in tuto poſitã, Græco emblemate elegã-

ter expreſſit; quod nõ euulgare, etiã quæſita occaſione, culpæ mihi tribuerem maximæ:



Κολποχύτων ὑδάτων πολυπληθέϊ πάντοθι νασμῷ
 Κλυζομένη, δεινοῖς εἰμὶ πρὸς ἀμφιτόμοις.
Καίνυ δόλοις δηΐων, τὸ δέ μοι πέλε κύντερον ἄλγος,
 Τοὺς τέκον, ἀλλὰ κακῶν ΟΛΚΑΣ ὄλωλα φίλων,
Εἰ μὴ λοιγὸν ἄμυνε θεοσεβέων Πρόμος ἀνδρῶν
 ΟΥΡΒΑΝΟΣ, ὁρμίσσας μείλιχον ἐς λιμένα.
Ὄφρα δ' ἄσειστος, ἄτρεπτος ὑπεκπροφύγοιμι
 Χεῖρας ἀθεσμοβίων θήκατο λαϊνέην. (Βαρείας

His carminibus ea in deambulatione ab Allatio recitatis, rogatus, qui vnà aderat, Vir itidem Clariſsimus Gaſpar de Simeonibus, vt Epigrammata in eãdem Nauim, ſub ipſam Fontis ſubſtructionem, Anno 1629. à ſe

à ſe compoſita, recitaret, ſummo omnium plauſu, perhumaniter annuit. Quæ, vt ab optimo Authore nitidiſsimè cõſcripta, cùm, hactenus inedita, meis paginis maximo ornamento eſſe poſsint, cur non & hìc publici iuris faciam? Equidem nihil hinc laudum acceſſurum ijs Carminibus ſcio, quorum ſumma laus eſt, Summo Principi placuiſſe. Illa autem ſunt:

IN NAVIM,
FONTEM AB VRBANO VIII. EXCITATVM
ſub Colle Pincio,
apud quem olim Naumachia,

Epigramma.

Viderat, æquoreo doctas preludere Marti,
Se penes inferſas Pincius ire rates:
Nũc, fato melior, quã ſpectat ab aggere, Puppis
Innocuæ tantùm munera pacis habet:
Et quà, Cęſaridùm veſana piacula, cœdes
Abluat, irriguas fundere diſcit aquas.

In Eandem, aliud.

Aurea Pax, Pharię quondã detracta carinæ,
Imbuit Hyblæis bellica roſtra fauis:
Et noua nunc pacis, PRINCEPS, fert omina Puppis,
Mellitos latices qua tua promit Apis.

De

De Eadem.

è Tormentis bellicis aquas fundente.

Diſtichon.

Fulgura in pluuiam fecit. Pſal.134.

Quò ſummum in Terris referas, VRBANE, Tonantem,
Hic pius in pluuias fulgura vertis aquas.

In Eandem, Luſus.

Nutrijt vnda Ratẽ, & vitreis geſtauit in vlnis:
Nunc (mirum!) altricem parturit illa ſuã.

Porph. lib. de Nymph. antro.

Morem ſubijciendi Dæmonũ ſtatuis Nauigia, vt ad inſtitutum redeamus ſermonem, Aegyptijs tribuit etiam Porphyrius; τούς τε Αἰγυπτίους διὰ τοῦτο τοὺς δαίμονας ἅπαντας οὐχ ἑστάναι ἐπὶ στερεοῦ, ἀλλὰ πάντας ἐπὶ πλοίου: *Aegyptios quoq; hanc ob cauſam omnes Dęmones non in ſolido ſtabiliq; ſtatuere ſed ſuper nauigium.* Diſſidere ab his videtur, quod politiſsimus Aethiopicorum Scriptor habet. τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνύντες, καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες *Quod ſcilicet coniungere pedes in Deorũ ſtatuis, & quaſi vnire Aegyptij ſoleant.* Verùm de hac re fides integra penes Porphyrium: qui de ſtatuis, ſiue imaginibus Deorũ ſcriptorem ſe profitetur. & hinc, vt eſt apud Iu-

Heliod. lib. 3. cap. 8.

lianum

lianum. περὶ ἀλληγορουμένης Ἑλλήνων, καὶ Αἰγυπτίων θεολογίας. Iulian. Orat. 5.

Sed ne in his immoremur, videnda ſunt, quæ de Porphyrij libro eruditè Clariſſimus Holſtenius De vita, & ſcriptis huius Philoſophi commentatus eſt. Holſt. de vita Porph. cap. 9. Quid ſi Heliodorum à Porphyrio non diſſidere dicamus? &, quidquid ſit de ea, quam profert, huiuſce pedum coniunctionis allegoria; ex quo non ſuper ſtabili; ſed ſuper nauigio ſtatuæ collocarentur, nullum gradientis, ac pedes dimouentis ſchema deſignatum.

Aegyptyacæ de Nauigio obſeruationis cauſam præſtabit diligentiùs rimari; tum quia ob materiæ ſublimitatem, rerumque dicendarum nouitatem, magnis ingenijs gratum fore confido; tum etiam quòd non illas eſſe ab his, quas tractamus, alienas, fiet manifeſtum.

Quæ ſacra apud Aegyptios reputantur, ad duas cauſas referri debẽt; & omnimodæ eruditionis doctor Plutarchus, cur Sacerdotes Aegypti cæpas auerſati ſint? inquirens, illas clarè ediſſerit: Plutar. lib. de Iſide & Oſir. *Ferebatur*, inquit, *inde huius auerſionem fluxiſſe, quòd ſcilicet inciderit in fluuium, ac perierit Dictys, Iridis alumnus, dum cæpas captaret.* ἐπὶ τὸ ἐμπεσεῖν εἰς τὸν ποταμὸν, καὶ ἀπολέσθαι τὸν τῆς Ἴσιδος τρόφιμον

μον Δίκτυω τῶ κρομμύων ἐπιδρασσόμενον. Hæc ratio ab Hiſtoria eſt repetita: quam mihi aduerſus Plutarchi ſententiam ſubſtinere, quandoque conſentaneum viſum fuit. Siquidem tam magnum exitium mori in aquis Aegyptij exiſtimabant, vt cùm Iſidis alumnum, quem inter Deos venerari par erat, cęparum occaſione in hoc peſſimum lethum incidiſſe intelligerent; olus id, quaſi necis patratæ cauſam, profanũ apud eos habitum, & eſſe perpetua auerſione dedignatos, probabile videri poſſit. Ob id genus cauſæ διὰ τὴν ἄλλην ἱερατικὴν ἱστορίαν, hoc eſt, *propter ſacerdotalem quãdam hiſtoriam* tradit Clemens Alexandrinus, ſupra allatum Crocodili Symbolum, in ſignificationem Solis fuiſſe admiſſum. Altera ratio eſt, quæ à rerũ natura elicitur; bipartita in duplicem conſiderationem, ideſt, quatenus ad Homines referatur; item quatenus ad Deos, & ad Cœremoniarum, ſacrificiorumq; ritus pertineat. Primæ claſſis ſunt, quòd cœparũ vſus, neque caſtimoniam exercentibus commodus eſt, neq; dies feſtos celebrantibus; alteris quia ſitim creat; alteris quia lacrymas excutiat. Secundæ claſſis, quia ſola hęc plãta, Luna decreſcente vigere, & augeri ſolet. Antonius Clarus non dubitat Plutarcho expro-

Clem Alex. lib. 5. Stromat.

Ant. Clar. sylu commu. in leg. Rom. cap.

exprobare, quòd ignorauerit Cœpã ab Sacerdotibus adorari; ideòq; abominari ſuæ diuinitatis corruptionẽ, & eſum: quòd nobis apertè ſignificauit Iuuenalis. Addo ego, quia in mortualibus adhibita, fortaſſe humanæ παλιγγενεσίας ſymbolum; quòd longũ poſt tempus à ſolo auulſa reuireſcat, atque cõgerminet. Dominus Menetrius inter multa, quę Romæ exhibet in ſuo Muſæo admiratione digna, manus eſt Aegyptij Cadaueris, quę pugno cœpã habuiſſe, ex ſinus ſpatio in ea relicto, & folliculo adhuc volæ adhærẽte, apparet. Niſi fortaſſe dicamus, fulguritũ corpus fuiſſe: vt Aegypto vindicemus, quod Numa, in Pythagorę doctrina verſatus, hoc eſt exoticis diſciplinis edoctus, Romę admiſerat: cũ fulmine ictũ cadauer, vt Plutarchus habet, expiationis cauſa διὰ κρομμύων, καὶ τριχῶν, καὶ μαινίδων, *vna cũ cœparum capitibus, capillis, halecibuſq;* terræ mandandũ præceperit. Quamobrẽ memorata de Iſidis Alumno non aſpernari, vt à Plutarcho, & Pierio factũ eſt, ſed ſymbolicè accipi oportere crederẽ. Quis enim quęrit cępas in fluuio? Nec aliter ſentit Clarus, vir ſanè Clariſsimus, quẽ vide. Hæc obiter dicta, & propter alia, quæ nos vrgẽt, ſtabilienda, neceſſariò præfati ſumus.

Iuuenal. Sat. penult.

Plutar. in Numa.

Plutarch. ibid. Pier Hierogl. lib. 58.

Igitur ad vtramq; cauſam & quæ à Natu-

F ra,

ra,& quæ ab Hiſtoria prouenit, reuocemus, ſi libet huiuſmodi de Nauigio in ſtatuis ſub Deorum pedibus obſeruationem. Sanè ex theologicis arcanis, in huiuſmodi theoria eximiè verſatus, indicauit Porphyrius, cùm inquiat, ea, quæ de Nauigio excogitauerunt Aegyptij, eò tẽdere, vt nos doceat, ipſum Solem, & omnes omnino animas, cùm in generationem deſcendant ἐπιποτωμένας τῷ ὑγρῷ *ſuper humido euolare*. Quo pacto hoc intelligendum eiuſdẽ Theologiæ Symmiſtes, quisquis fuerit, ſub Hermetis, ſiue Mercurij nomine Auctor, ex Aegyptiorum penu exprõpſiſſe videtur. Etenim, cũ τῆς προσωπογραφίαις vtatur, rem veluti ſub oculos, ni fallor, euidẽtiùs ſubijcit. Accerſitis, Mercurio internuncio, cœleſtibus Dijs omnibus, ſummum Orbis Opificem, terram deſpicere illos iuſſiſſe, tradit; quippe humanam ſtirpem gignere, & quid in eam ſinguli collaturi eſsẽt explorare ſatagebat. Ac parata inueniens in obſequium Numina: ex his Sol primùm ampliùs lucere ſe velle reſpondit. Luna deinde ſe proximum poſt Solem curſum illuſtraturã pollicebatur; iamque timorem, ſilentium, ſomnum, & memoriam genuiſſe prædicabat. Saturnus dicam, & neceſſitatem procreaſſe, Iuppiter porrò fortunam, ſpem, ac pacem

Herm. Triſmeg. apud Patrit. li. 13

genuiſſe

genuiſſe dicebat. Mars vero certaminis, iræ, contentionis patrem ſe ſe memorabat. Venus deſiderium ſe ipſi, voluptatem, & riſum adiuncturam ſpondebat. Mercurius verò dicebat, ſe naturam humanam ficturum, & prudentiam illi, temperantiam, ſuadelam, ac veritatem conciliaturum.

His expoſitis, ad materiam, qua humanũ genus fingi debebat, deuentum eſt, illiuſque temperaturæ Mercurius ipſe auctor, accepiſſe dicitur primigeniæ mixturæ reliquias, ac in eis iuſto maiorẽ aquæ vim adhibuiſſe, vt materiam renouaret; ἔνθα πολλῷ πλείονι τοῦ δέοντος ἐχρησάμενος κατὰ μίξιν, ὕδατι ὡς τὴν τῆς ὕλης σύστασιν νεαροποιήσασθαι. Hæc de Hominis figmento. ſic etiam liquidam fluuidamq; totius Vniuerſi materiã paulò ante idem Mercurius deſcripſerat. Quinimò Aegyptijs nominatim à Philone tribuitur, quòd τὸ ὕδωρ διαφερόντως ἐκτετιμήκασιν ἀρχὴν τῆς τῶν ὅλων γενέσεως εἶναι νομίζοντες. *Aquam eximiè coluerunt, principium Vniuerſi generationis eam cenſentes.* Nec diuersè Plato; qui Aegyptiorum doctrinæ addictiſſimus, illam pelago aſſimilauit, teſte eodem Porphyrio, πόντος δὲ, καὶ θάλασσα, καὶ κλύδων, καὶ παρὰ Πλάτωνι ἡ ὑλικὴ σύστασις. Hermes ibid. Porphyr. de Nymph. antr.

Ceterũ & apud Platonem materiæ congeries, pontus, mare, ac procellarum æſtus ap-

pellatur. cui ſententiæ Platonicos omnes, & Proclus in Timæum. in primis Proclũ adſtipulari certũ eſt. Idẽ ex antiquorũ teſtimonio Simplicius in Epicteto recenſuit: quem locum, eximia, qua me proſequitur, humãitate, indicauit eruditiſſimus L. Holſtenius, qui hunc Auctorem iam à Simplicius in Epictet. ſe ad vetuſta exemplaria collatum, emendatumq; G. L. edendum curat. τὴν μὲν γὰρ θάλασσαν διὰ τὸ ἐμβριθὲς, καὶ κλυδαινόμενον, καὶ παντοίως μεταβαλλόμενον, καὶ πνῖγον τοὺς καταδύοντας εἰς αὐτὴν ἀπὸ τῆς γενέσεως αἰά-γων, καὶ οἱ παλαιοὶ μυθοπλάσται τῆς γενέσεως ἔλεγον σύμβολον. Vertit Vvolphius. *Mare ob profunditatem fluctuationem crebraſque, & varias mutationes, & quia ſuffocat eos qui id intrant, veteres etiam fabulatores generationis ſymbolũ eſſe dixerunt.* τῶν μυθοπλάστων chorum duxit Homerus, cui Oceanus

------ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

& *rerũ omniũ pater*, imò & *mater*, & *nutrix*, vt alij adnotarunt. Ex his ſequitur, cœleſtia Numina, & animas, quæ in generationem deſcẽdunt, materiã ipſam incubare, & ſuper eã ferri, & vt Græci dicunt ἐπαναφέρεσθαι: idq; eſſe, quod in eorũ Simulachris Nauigij ſymbolo Aegyptios expreſſiſſe affirmatur. Græcia, omniũ aliarum nationũ non ſine procaci faſtu contemptrix, Aegyptum indignata ſui

magi-

magiſtram agnoſcere; hanc doctrinam, vt pleraq; multa, fabularum & ipſa parens, interpolauit, ac rotas aluo accommodans, iugalibuſq; proræ ſubactis, nauigia transformauit in currus. Niſi mauis dicere, potiùs Hebræorum Theologiam profanam, & hìc, vt aliàs, effeciſſe; quibus curruum, & quadrigarum frequentiſſima ſymbola. quod per me ſanè licet. Parum alioquin, aut nihil currus, nauigiaq; inter ſe differre, vel Euripides docere potis eſt, cui ὄχημα πελάγιον nauis deſcribitur. Conſtat etiam ex Antiquorū imaginibus; quæ ne alibi quærantur, in Explicatione Zonæ marmoreæ, quam Tabulæ Solis appinxit Hieronymus Aleander, integrum erit obſeruare. Hunc Virum iam μακαρίτην cùm Roma laudibus inceſſanter vehat, hìc honoris cauſa nominatum volui. Hieronym. Aleand. in Tab Marm. interpr.

Quamuis ergo poſtrema hæc Græcorum figmenta, quà ſcriptis, quà Imaginibus, vt apud Hyginum, & alios multifariam tranſmiſſa, ſolummodò apud nos obtinuerint, non eſt cur prioribus comparata, non multò inferiora, vt minùs congruentia, videantur. Licet enim quæ ad iugum admiſſa animalia, pro ſympathiarum ratione, fuerint induſtriosè delecta; fruſtra tamen fuiſſe quis eſt qui non intelligat; nec aliud rei inſeruire, niſi, vt ſuis Higyn. de Dijs.

partibus compleretur imago,ne manca alioquin,atque deficiens videri poſſet? Rurſus quàm præter rationem, non ſuper ſolido rotas ferri, ibiq; etiam (vt teſtatur Ouidius) manifeſta cerni veſtigia. & vel ipsũ Neptunum,non clauum,ſed ἀληθῶς habenas in æquore moderari? Huius differentiæ vnum præ cæteris ſit exemplo. Quod de Phœbo aiunt Græci, illum quadrigas regere, curru nitido cœlum percurrere, diemq;nobis promere,ac cœlare;idem ex Aegyptiorum figmentis ſimpliciſſimè figuratum. *Solem quoq; & Lunam dicit non curribus, ſed nauigijs vectos curſus ſuos continuare: innuentes humore ali res, atque procreari.* Item Stromatæus,per cymbam,inquit,Aegyptij Solem deſignant,ὅτι ὁ ἥλιος δι' ἀέρος γλυκερῦ. καὶ ὑγρῦ τὴν πορείαν ποιέμενος γεννᾶ τ̃ χρόνον. *quod Sol per aerem dulcem, & humidum ingrediens, tempus gignit.* Hinc quippè non illud inconueniẽs,Solis equos in Oceanum mergi: quod euitandi gratia, fuit, qui fingeret, Vulcanum ex auro lectũ fabricatũ eſſe, vt in eo,cũ defeſſus diurno labore itineris, in occiduum pelagus Sol perueniſſet, vel dormiens nauigare poſſet in Orientem. Steſichorus etiam, & Antimachus, Solem cymba Oceanum nauigare, antiquorum auctoritati vel inuiti ſuc-

Ouid. Metamorph.

Plutar. de Iſid. & Oſir. fol 148. Clem. Alex. Strom. lib. 5

De his Natal Comes.

ſuccumbentes, dixerunt. Mitto, pleraque extare Græcorum monumenta, quibus iſtud Soli nauigium aſſeratur; ac proinde priſtinæ Aegyptiorum ſapientię pluribus teſtimonijs vindicari poſſe. Vnum tantummodò minimè aſpernandum, quo hoc Nauis ſymbolum illuſtrius fiat. Solis enim orbitam, imò & Lunæ, ad ſimilitudinem ſcaphæ formatam eſſe, & re vera huiuſmodi effigiem retinere, Heraclitum credidiſſe. Hinc de Solis, Lunæq; defectibus, de multiplici Lunæ facie ab eo redditæ rationes, vt apud Plutarchũ, & Stobæũ. Laertius etiam meminit. Ἐκλείπειν τὸν ἥλιον, καὶ σελήνην ἀναστρεφομένων τῶν σκαφῶν. τοίς τε κατὰ μῆνα τῆς σελήνης σχηματισμοὺς γίνεσθαι, στρεφομένης ἐν αὐτῇ κατὰ μικρὸν τῆς σκάφης. *Solem*, inquit Diogenes; *ac Lunam conuerſis ſurſum ſcaphis deficere, atque etiam Lunæ ſingulis menſibus ſpecies variari, cùm eius aliquantulum ſcapha ſe ſe conuerterit.*

Heraclit. apud Plut. de Placit. Laert in eius Vita. Stobæ. Egl. Phyſ. lib. 1 cap. 25.

Fluxerunt hinc etiam, quæ Manichæis tribuit S. Auguſtinus, & cum alioquin meræ nugæ, quòd tamen ſapiũt, cũ Iudaiſmi miſtura, Ethnicorum aliquam antiquitatem, vt non indigna hic recenſeri videntur. Proferam magni Scriptoris verba; *Quicquid verò vndiq; purgatur luminis per quaſdam naues, quas eſſe Lunam & Solem volunt, regno Dei*

S. Aug. de Hæreſ. ad quod vul. Deum.

tanquam proprijs ſedibus reddi: quas itidem naues de ſubſtantia Dei pura perhibent fabricatas lucemq; iſtam corpoream animantium mortalium oculis adiacentem, non ſolũ in his nauibus, vbi eam puriſſimam credunt; verùm etiam in alijs quibuſq; lucidis rebus vbi ſecundum ipſos tenetur admixta, crediturque purganda, Dei dicunt eſſe naturam. De Iudaiſmo arguunt; *Moſis facies vt Sol, Ioſue vt Luna lucebat*, in libro de morte Moſis: & quæ ibi Gaulmin.

Gilb. Gaulmin. Notar. lib. 3. cap. 3

Ex his igitur ſatis ſuperq; apparet, vnde in ſymbolica Græcorũ Philoſophia curruũ, quos Dijs tribuerunt, inuentio emanauerit. Et hactenus, quod ſciam, oſtendit nemo. Loco enim nauigiorum ſubrogatos, & tã hæc, quàm illos, ſuperiorum poteſtatum in inferiorem mundum conuerſionem, & in rerum generationem delatam vim, & efficaciam exprimere eſt manifeſtum.

Verũ ex Dijs ad Homines deſcendamus, & an Aegyptiorũ doctrina de nauigijs, juxtà methodum, quam nobis ſupra ex Plutarcho præſcripſimus, Heroũ animabus cõueniat,

Porph. ibid.

inſpectemus: nã cũ teſtetur Porphyrius, omnibus Dęmonũ Statuis Aegyptios illa accõmodaſſe, ſic ad omnes animas, quod ipſe nõ diffitetur, etiam ſymbolicè applicanda iure con-

ſequitur. Quamobrem, ne à ſuperioribus recedamus; ſi Aegyptiorum penetralia vnà cum eodē Hermete ingredi libeat; de animarum creatione illud apud eos comperiemus, Summum Opificem Deum, vt animas crearet, de ſuo ſufficientem ſpiritum cepiſſe. ignem deinde cum alijs quibusdam naturis compoſuiſſe ψύχωσιν vocat, animarum velut materiam: eamq; puram, limpidam, ſoloque artifici conſpicuam, ita temperauit, vt nec igne liqueſceret, nec aere concreſceret, ſed ſingularem quandam propriamq; naturam retineret. Hanc materiam cum de motu Dei flos exhalans peruadit, ψυχὴ conſtituitur. Singula ſi diſtinctè examinentur, dices, iuxta harum gentium opinionem, diuini ſpiritus particulam mentemq; eſſe, & potiorem animam; Ignis verò, aeriſq; temperatio erit ſpiritus vitæ medius inter animam, & corpus, ac idolum; vt varijs deſignata nominibus, ſic etiā diuerſis expreſſa imaginibus. Syneſius, ex cuius peplo multa huic ſtromati inteximus, haud dubium quin Aegyptiorum adyta penitus introſpexerit, quæ ſcriptis ſuis prodidit, & potiſſimùm libro de Prouidentia: hoc cœleſte, & primum animæ corpus ſcaphæ comparauit: eamq; animam conſcendere ait, cū ad inferiora propellitur: cuius verba

Herm. Triſmeg. apud Patricium lib. 13.

ba

Syneſ. de Inſomu. ba λῦ δ' αἰωρεῖται μὲν ἀπὸ τῶν σφαιρῶν ἡ πρώτη ψυχὴ κατιοῦσα κἀκείνης ὥσπερ σκάφους ἐπιβᾶσα τῷ σωματικῷ κόσμῳ συγγίνεται. *Quam è cæleſtibus orbibus princeps anima deſcendens mutuò accipit, eamq; tamquam nauigium conſcendens, corporeo mundo ſe ſe immiſcet.* Simplicius, poſt locum, quem ſuprà adduximus; τὸ δὲ πλοῖον εἴη ἂν τὸ διὰ κομίζειν εἰς τὴν γένεσιν τὰς ψυχάς. *Nauigium autem fuerit quod animas ad ortum producit.* Humanum verò corpus aquæ elemento, vel ab ipſo Hermete aſſimilatur: apud quem animæ corporibus mãcipandæ conqueruntur, quòd cœlum ſui ortus principium, Dei oculos beata Stellarum lumina deſerere cogerētur ἵνα τὸ ὑδαρὲς σῶμα, vt *aqueum* ſubirent *corpus*. Optimè in hanc ſententiam magnus philoſophia, vt imperio M. Antoninus. Πάντα τοῦ σώματος, ποταμὸς omnia, quod ad corpus, vt flumẽ ſe habere; & eorum verborum ſenſus conſtat, quibus vitæ initium, & ab eo defluxum, exitum, & ad illã appulſum elegantiſſimè cõprehendit ἐνέβης. *Vitam ingreſſus es.* ἔπλευσας. *nauigaſti.* κατήχθης. *creatus es.* ἔκβηθι. *abſcede.*

Simplic. in Epictet.

Herm. apud Patric. lib. 13

Herm. Triſme. ibid.

M. Antonin. lib. 2. commate. 19.

Idem lib. 3. com 3.

Syneſ. in Dion.

Alibi etiam elegantiſſimus ſcriptor *Syneſius* typum Nauis agnoſcit, cùm animus noſter rerum indagatione per eas diſciplinas vagatur, atque diſcurrit; quæ inferioris eſſe

men-

mentis officia, inquit, τί δ' ἂν εἴη λόγου νῷ συγγενέστερον; τί δὲ πορθμεῖον ἐπὶ νοῦν οἰκειότερον ᾧ ὅπου λόγος, ἐκεῖ που καὶ νοῦς. *Ecquid verò tandem menti eſt ratione coniunctius*, aut *quod ad illam nauigium accomodatius? vbicunq; enim ratio eſt, ibi & mens eſt.* Hoc Nauigium, vt planè omnia cum ſequentibus adamuſſim reſpondeant, in Platonicorum Schola ὀχήματος τῆς ψυχῆς currus, atque ætherei vehiculi nomen meruit. Quod adeò clarum, vt cuicumq; in ea vel mediocriter erudito, haud ignotum videri queat. Aliud ergo, breuitati conſulens, non addo. moneo ſolùm, inſculpto ſub ſtatuis nauigio, eminentem animæ ſtatũ poſſe etiam deſignari, quem nimirum mens puriſſima fuerit adepta; vt idem apud Aegyptios valeat nauigij ſignum ſub Heroum pedibus, quod in Diuorum capitibus nos, æternæ gloriæ ſymbola, Vraniſcos credimus eſſe.

Huc pertinent, quæ ex Heraclito ſuis dictis accerſuit Porphyrius; ſed aptiori in loco de ijs nobis agenda mentio. Nunc ad alterã exponendi rationem, quæ ab Hiſtoria deſumitur, veniamus. Huius rei originem, ſi mea me non fallit coniectura, ad narrationem de Moſe referendam cenſeo: de quo illud conſtat, quod apud Ezechielum, Iudaicarum Tragœdiarũ Poetam, de ſe ipſo narrat. Proditam

ditam nimirum eius Matrem, cùm trimeſtrẽ infantem diutiùs ſeruare non poſſet, iuxtà Nili ripam expoſuiſſe, & opportuno Regiæ prolis aduentu ſuſceptum, ſeruatumq; & ob Mariæ ſororis technam propriæ genitrici, pacta mercede, ad educandum traditum; cũ nomen ex re ipſa, quòd ab aquis extractus, infanti inditum eſſet. Hanc Hiſtoriam Iudæi Græciq; ſcriptores, &, quod magis eſt, firmãt ſacræ litteræ. Rationem autem nominis, & formam Vaſculi, quo expoſitus, præſtat hìc luculentiùs explanare, Quod ad nomen, eius etymon ab Aegyptiorum lingua deducunt Ioſeph, Philo, & Clemens Alexand. verùm aliqua inter hos Scriptores notatur varietas. Ioſeph apud Aegyptios τὸ, μῶ *aquã* ſignificare ait; Philo τὸ μῶς; Clemẽs verò τὸ μῶυ. Reliquã dictionis partem eò trahunt, vt vel *ſeruatum*, vel *emerſum*, vel *ſublatum* ſignificare velint. Diuerſus ab his Scriptoribus inter Neotericos Druſius, autumat vocem eſſe Hebraicam משה *masà*, quod eſt *extraho*. cùm Moſes cognomine ſibi functus ſit officio, hoc eſt, Scripturæ teſtimonio, extractor fuerit populi ſui, quòd ita illum eduxerit ex Aegypto, vbi tanquam in aqua rerum aduerſarum demerſus fuerat, vt ipſe ab aquis extractus. nec aliter etymi rationem,

Ioſeph. lib. Iud. Antiq. c. p. 5. *Philo. de Vita Moſ.* lib. 1. Clem. Alex. Strom. lib. 1

Druſ. Com. in Exod. c. 3

quæ

quæ in Exodo eſt, interpretamur. *Quia* nimirum *ex aqua extraxi eum*.

Culpat Druſius Ioſephum, ſed modeſtè. Minimè ferendus, quisquis ille ſit, qui ex hac Druſiana animaduerſione, quam ſuam facit, in Philonem, Ioſephum, & Clementem inuehitur; eiſque per deridiculum appingit, quòd Moyſem ὑδατογενῆ interpretati ſint; quæ vox nuſquam apud illos Scriptores legitur; eſt tantummodò in Græco verſu, qui Orpheo adſcribitur:

ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδατογενὴς διέταξεν

ὑδατογενὴς, de Moſe accipitur: id, ſiue vulgi errore, ſiue poetica hyperbole; & ex eo, quòd non in aquis extinctus, velut in aquis genitus nuncupatur: vt quantum ad priuationem fuiſſet interitus, quod eſt ſaluum euaſiſſe, generationis prærogatiua ἐμφατικώτερον inclareſceret.

Inſtrumentum, quo Moſes expoſitus, Nauigioli formam expreſſiſſe videtur. In vulgatis Biblijs Fiſcella ſcirpea nominatur: & Ioſephus, & Alexandrinus Clemens Scirpos interpretantur, cùm ex papyro Vas conſtructum fuiſſe dicant, quòd ijs in locis abũdet. Formam verò, generali vſus vocabulo, Clemens non indicauit. Rotundam fuiſſe voluit Lyranus, an ſequutus Biblicæ vocis

Exod. cap. 2. verſ. 3.

Lyran. in Exod.

com-

communem notionem? vel quia olim Cunæ infantium, εἰς οἰωνὸν πλούτου, καὶ καρπῶν. Cribrum eſſet & Vannus? quod notauit Græcus Callimachi Scholiaſtes. Aliter tamen Ioſephus, oblongam, & lectulo ſimilem figuram ei tribuens, Πλέγμα βίβλινον ἐμφερὲς τῇ κατασκευῇ κοιτίδι, μέγεθος αὐτῇ ποιήσαντες αὐτάρκες εἰς τὸ μετ' εὐρυχωρίας ἐναποκεῖσθαι τὸ βρέφος. *Lectulo è papyro cõtexto, quãtus infantulus commodè capi poterat*. In Rabbinico Opuſculo, quod de Vita Moſis edidit Gaulminius, hoc Vaſculi contextũ ex iuncis תבה thebah *arca* vocatur. Arcam nemo neſcit ſcapham eſſe, ſed operimento deſuper contectam. Non eſt dubium id hunc Scriptorem in mente habuiſſe, cùm de aperitione addat; *Regia Virgo inſpicit aquis innatantem arcam, adferri iubet, aperit*. Et quidem de ea non dubitandum; nam idem in ſacra pagina, ibi, *Et allatam aperiens*. An infelix Mater hoc munimen, ne Infantulo aues inſultarent, compegerat? Sed quidquid ſit, ſufficiat nobis è Stromatæo auctoritas; nam, cùm ἐκ σκεύους βίβλου τῆς ἐγχωρίου, *Vas ex papyro* affirmet, commentationis vice erit illud Eſaiæ, vt in vulgata habetur Editione; *Qui mittit in mare Legatis, & in vaſis papyri ſuper aquas*. Ac ne quid ad vſum Nauigio-

Callim. Scol Hymn. in Iou.

Ioſeph. Antiq. Iud. lib 2. cap. 5.

Rabbi Anonym. de Vit. Moſ.

Exod. c. 2. 6.

Eſaiæ c. 18. verſ. 2

gioli deeſſet, fuit huiuſmodi receptaculum bitumine, & pice illitum, hoc eſt nauali ratione picatum, ne aqua penetrare poſſet. Igitur materia, forma, & linimentum ſcaphā effingebāt. Notum vulgò, ſcirpeas tegetes in ſcapharũ ſtructuram adhibitas, & ad pręſens adhiberi. Cæterùm in Nili fluuio, nec olim aliud cymbarum genus; hinc Lucanus; Lucanus.

-----ſic cùm tenet omnia Nilus,
Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

& potiſſimùm religionis cauſa; quòd Iſis, cũ fruſta diſcerpti Oſiridis quæreret, per paludes excurrens papyrino lembo ſit vſa; & ſubinde, vt teſtis Plutarchus eſt, qui huius generis nauigijs veherentur, credebant Aegyptij eos à Crocodilis, ob Numinis reuerentiam, non infeſtari. Addo nũc, quæ ex Manethone, antiquiſſimo ſcriptore, refert Hebræus hiſtoriator; nempe Aegyptios Moſem tanquàm Aegyptium ſibi vendicare, illumq; θαυμαςὸν, καὶ θεῖον *virum mirandum, & diuinum* (ſunt Ioſephi ex Manethone verba) exiſtimare. Miranda enim in Aegypto illum edidiſſe, ſacra etiam narrat Hiſtoria.

Plutarch. de Iſid. & Oſir.

Ioſeph contra Apion. lib. 1.

Demus igitur, vt ſimulacrum huius diuini Hominis effingere voluerit Aegyptus, neceſſe erat, vt Moſem, ſiue Monion (ita enim ſunt, qui ab Aegyptijs illum appellatum velint,

lint,eodem prorſus etymo, quòd *uω* pro *aqua*, *vi ex*, Aegyptiacè interpretētur, hoc eſt ſeruatum ab àquis) cum ſuo inſtrumento oculis repræſentaret, & proinde eius ſtatuæ nauigium ſubieciſſe. Et ab vnius Diui, & omnium primi, effigie, ob diuinitatis notam, & characterem, idem poſteà, quemadmodum in ſimilibus fieri conſuetum, in alijs ſimulachris, & imaginibus vſurpatum. Quod de Iſidis nauigio ijdem fabulantur Aegyptij, & Plutarchus memorat, cùm Iſis Lunam ſignificet, ad ea quæ ſupra dicta ſunt, ſymbolicè referri poſſunt; nec nobis tantum ſuppetit otij, vt explicatiùs declarare debeamus. Quod verò ad Hiſtoriam attinet, certum eſt, Moſem, teſte Tertulliano, nongentis circiter annis Saturno antiquiorem; & in Aegypto excelluiſſe ante Iſidem & Serapim, vana illius Regionis Numina, demonſtrat indubiè, ſubducta temporum ratione, quem ſæpè laudauimus, Clemens Alexandrinus.

Tertull. de anim.

Huc pertinere Ectypon Gēmæ, quā Nicolaus Fabricius, Dominus *du Peieres*, magnū litteratorum columen & huius ſeculi ornamentū, Laurentio Pignorio, Mēſam Iſiacam exponenti, exhibuit; ipſa per ſe figurarum facies, & delineatio manifeſtiſſimè indicat.

Quia



Quis nō agnoſcit in Nauigiolo lectuli ſimilitudinem? quis in humana Icuncula Infantē faſciolis inuolutum nō inſpicit? Scarabęū, qui medius ſupereminet, ex Aegyptiorū monumentis vitam ex aquis καὶ ὑδατογενῆ exprimere nō ignorant docti Viri, quos nō fugit illud, quòd de hoc Animalculo habet Horapollo, ſiue ex Horapolline Philippus, cui Græca Hieroglyphica tribuuntur: & ſic emendatè leges; Τῇ ἐνάτῃ δὲ, καὶ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ ἀνοίξας τὴν σφαῖραν, εἰς ὕδωρ βάλλει. Ταύτην γὰρ τὴν ἡμέραν νομίζει σύνοδον εἶναι σελήνης, καὶ ἡλίου. ἔτι τε καὶ γένεσιν κόσμου· ἧς ἀνοιγομένης ἐν τῷ ὕδατι ζῶα ἐξέρχεται τουτέστιν οἱ κάνθαροι. γένεσιν δὲ διὰ τὴν προειρημένην αἰτίαν. *Nono autem, & viceſimo die apertam pilam in aquam conÿcit. eum enim diem eſſe putant, quo & Luna cum Sole congrediatur. Item mundi generationē; quod ex ea* (Pilā intellige. ac confer, quæ ſupra de Vniuerſi materia, & huc ſpectantia diximus) *in aqua aperta, prodeunt animalia, hoc eſt ſcarabæi. Ortum*

autem, propter iam dictam cauſam. Auiculæ, quæ hinc, & illinc Infanti venerabundæ adſtant, Aegyptus eſt. Hinc (quis credet?) Oſeę locus. *Et auolabunt quaſi Auis de Aegypto, & quaſi Columbæ de terra Aſſyriorum.* Vt enim Columbæ Babilonem deſignabant, de qua re vide Auctorē Pentacontarchi; ſic Aegyptiorum gentē. τὰ ὄρνεα, Aues Ita habet & ex Hebræo. *Et trepidabunt*, ſiue *Et pauebunt vt Aues, quæ ſunt in Aegypto:* eademq; dicendi formula, qua nunc per Gallum, & Aquilam, Francorum Germanorumque nationes exprimimus. Nec immeritò Aegypti ſceptrum harum Auicularum caput, velut Regionis character, exornabat: & in numis eius imago, atque inſignis Ciuitas Alexandria adiecta Aue repræſentabātur. Qua veneratione Aegyptij Moſem ſint proſecuti, iam ſuprà tetigimus, & paſſim obuia ſunt id teſtantia monumenta.

Laur. Ramir. Pentacontar. c. 44.

Cùm igitur ad tot ſignificationes Nauigium apud Aegyptios adhiberetur; & præcipuè Solem, Lunamq; exprimeret; par eſt, vt inter hieroglyphicas notas illud etiam frequentiſſimè vſurpetur. In maioribus, minoribuſque Vrbis Pyramidibus huiuſmodi ſculpturæ ob oculos poſitæ. delicatiùs deſignatas in menſa quadam ex nigro lapide

Horap. lib. 1. cap. 10.

apud Ariminenſem Gualdum illas erit videre. ambarum ſchemata ſubijcimus.

AP. EQ. GVALDVM & IN OBELISCIS





Sed quonam referemus memoratum Antinoi Nauigium? & cũ *Luſorium* ab Epiphanio ſit dictum, cur Latina vox ab Græco Scriptore vſurpata? & in quem ſenſum? Ego à magnis Viris, quorum ſupra memini, cùm valdè diſſentiam, audax haberi haud debeo, ſi cum illis hac in re iudicium conferam. Oſeas c. 11. nu. 11.
Prius tamen, quæ de Luſorio Nauigio dicta ſunt, ne hic deſiderentur, breuiter recenſeamus.

De Luſorijs primus omnium laudatiſsimus Auctor P. Pithæus ſcripſit eſſe mentionem in Cod. Theodoſ. *De Luſorijs Danubij*: in Capitolino, Ammianoq; Marcellino: & amnicos lembos fuiſſe, quibus in cuſtodiendis limitibus armati milites vterentur. Sumpſit ſingula, & auxit C. Salmaſius, cũ inquiat, Luſorias propriè dici Naues, quæ nec ad vsũ belli, nec ad merces vehẽdas eſsẽt factæ, ſed ad luſum tantùm, & ſolas circumuectationis delicias haberẽtur. Explicat hoc modo, ſiue quod his ludicra Naumachiarum certamina

Laut. Ramir. Pentacontar. c. 4. Laurent. Pignor. in expo. Menſ. Iſia pag 14 nu. 7.

edi ſolita, aut quod ludere etiam nauigia di: cerentur, quæ, pelago per laſciuiam decurrentia, multiplices darent motus, & impetus; ac recurſus, varioſq; flexus ederent. Quod Seneca ad exemplum vitæ accommodauit; *Eodem die*, inquiens, *vbi luſèrant nauigia ſorbentur*. Hinc κατὰχρηστικῶς quælibet minores Naues, & quæ armatis militibus ad tuendum limitem in fluminibus vſui erant, Luſoriæ appellatæ.

Ego, antequam hos Scriptores offendiſſem, putabam *Luſorium* Latinè, è Græco tamen fonte quoquo modo deriuatum vocabulum; vt nimirum ſimilitudinem ſcaphæ adumbraret, quæ ad vſum lauandi eſſet. Huiuſmodi enim balneatorum Labra: hinc apud Trallianum σκαφολουτρεῖν *in ſcapha lauare*, & alueus ad cymbam translatus, vt apud Virgilium. Sanè, cùm hæc non probaſſem, nec aliena fecerunt ſatis. Nam hos nauales luſus cuiusuis generis nauigijs dare nautica ars poterat. atque adeo ex his, nec vocis originationem, nec Nauiũ ſpeciem, & formam ſatis conſtare fit manifeſtum. Ratus igitur vetuſta marmora, & quæ ſuperſunt antiquitatis rudera conſulenda eſſe; cùm in earum imagines incidiſſe credam, veram hiſtoriarũ notionem, & Epiphanijmentem explicare

poſſe

poſſe exiſtimo. Conſueuerunt enim Veteres, vt luſus oculis per figuras ſubijcerent, Genios, Cupidineſq; cymbulas agitantes effingere: quibus, genuinis veluti characteribus, ſiue hominis, ſiue loci alicuius delicias repręſentarent. Originem repeto ex Aegypto, vt eo magis cõueniẽtia huic capiti attexere videar. Nam qui antiquitus repręſentarunt Nili imaginem, in ea luſus ſpecimina varia adumbrarunt. Philoſtratus περὶ τὸν Νεῖλον οἱ πήχεις ἀθύρουσι, παιδία ξύμμετρα τῷ ὀνόματι. *Cubiti circa Nilum ludunt pueri, corporis quãtitati cognomines.* Memini, cùm Neapoli lœtiſsimam Plagæ oram incolerem, nihil feſtiuius, ac ludicrum magis, quàm Puellorũ, ſiue abnatantium, ſiue nauiculãtium agmina inſpexiſſe. Luſum ex natatu, ſi Nili procũbentem ſtatuam, quæ in Proſpectu Vaticani Palatij, media in area ſupremorum Hortorũ ſita eſt, cõſideres, exprimunt Pueri, qui, Catellorum laſciuiẽntium inſtar, per eius crura, brachiaq; gradiuntur. Quòd verò altitudine cubitales, quòd numero ſexdecim ſint, rem notam prætereo. illud non ſilebo, cauendum ab Antonio Auguſtino, & Gilberto Gaulmino, vt procliue eſt falli cum magnis Viris. Hic cùm de Nilo pleraq; Mauſaci ſibi applicet, nominari hoc flumen νεῶ, &

Ant. Augu. dialog. 3. nu. 22. Gilb. Gaulmin. Notar. de Vita Moſ. lib. 1. cap. 10.

& νέον verti ab Horapolline referens, ex hoc nomine, ναίυς τοῦ Νείλου hoc eſt Nanos Nili deriuat; eoſdemq; cum pueris confundit, qui οἱ πήχεις Cubiti, & qui eius ἀνάβασιν deſignant. at cui vnquam perſuadebit נרני nunè nanos eſſe, & νέον, id eſt, iuuenē dici Amnem ob Infantes? Hos cùm ſpecie elegātiſsimos deſcribat Philoſtratus, βρέφη ἁπαλὰ, καὶ μειδιῶντα, nemo nanos, & deformes pumiliones dixerit. Sanè Niliacum puerum ad inſigne formoſitatis exemplar efformauit, & deſcripſit Martialis eo carmine, cuius initium,

Martial. l. 4 Epig. 42.

Niliacis primùm puer hic naſcatur in oris, &c.

Ille, quæ maxima eſt Viri in Vrbe verſatiſſimi allucinatio, in hac eadem ſtatua, de qua nobis ſermo, eoſdem gradiētes per corpus Nili Infantes, & Pigmeos facit. cùm ſeorſim in illius ſuppedaneo, Nanorum nauiculas agitantium, & cum Hippopotamis, Crocodiliſq; colludentium effigies repræſentauerit nobiliſsimus artifex: quas idcircò dare, & ſi alibi impreſſas videre liceat, hìc neceſsè exiſtimo. Et inter Numos, quos protulit idem Auguſtinus, in Numo Hadriani Cæſ. Coſ. IIII. Imago Nili viſitur, quæ hæc illū edocere poterat. Habet enim Infantem, qui ſubiens bra-


F. 103

brachium, amplectitur Copiæ cornu, & à tergo Puellum in Nani ſpeciem deformatū. Sed de his pumilionibus plura in Diatriba de Salapuſijs. Quod intereſt pro re noſtra, in eodem Numo conſiderãdus eſt tertius Grãdiuſculus puer, nauigiũ habens. Hinc haud mihi temperare poſſum quin Statij eximij Poetæ locum adſcribam. qui ſummopere his à me lucem accipiet, & viciſsim dabit. Nutriuit re vera Aegyptus, vexitq; Nilus id genus delicias, & in precio habitas, precioq; redemptas. Quamobrem in Epicedio Filij, excuſans Poeta immodicum luctum; haud equidẽ immodicũ dũ pro Filio; qui ſicut Natura dictante, nunquam nimis diligitur incolumis, ita nec etiam abundè lugetur extinctus;

Non ego, inquit, *mercatus Pharia de puppe loquaces* Stat. Sylu. lib. 5. in fin.
Delicias, doctumque ſui conuicia Nili
Infantem, linguaq; ſimul ſalibuſq; proteruum
Dilexi: meus ille, meus, &c.

An ambiges *Pharia de puppe loquaces delicias*, idem eſſe, quod pedeſtri ſermone diceres, *ex luſorio Nili nauigio iocos*? Hinc intelligis quæ in Ouidio & Martiali non omnes capiunt. Ouidius;

Ouid. lib. 1. Triſt. Eleg. 2.

Delicias videam, Nile iocoſe, tuas.

Martialis;

Martial. lib. 11. Epigr. 14.

Quiſquis Flaminiam teris, Viator,
Noli nobile præterire marmor:
Vrbis deliciæ, ſaleſq; Nili,
Ars, & Gratia, luſus, & voluptas,
Romani decus, & dolor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidineſq;
Hoc ſunt condita, quo Paris, ſepulcro.

Et plura huiuſmodi in iiſdem, aliiſq; vetuſtis Auctoribus: quæ cõſultò prætereo. Sed nolo Petroniũ omittere, cùm mirũ videri queat, ſi, poſt magna ingenia, in hoc Auctore ſpicilegium fiat; etenim, inter Trimalcionis delicias, & has non præterijt: *Circumferebat Aegyptius puer clibano argenteo panem: atque ipſe etiam teterrima voce de laſerpitiario minio canticum extorquet*. Optimè VVoVVerenius, ſiue Ioſephus Scaliger *teterrima* in *tenerrima* emendauit; at non ita, cùm Aegyptium puerum in Aethiopem vertit. Sed hoc explicare paucis nõ poſſum, reijciendumq; ad promiſſam de Salapuſiis Diatribam. In reliquis verbis, pro *minio*, *mimo* ſubſtituunt, & iã recepta lectio: cui amplius faciens Gõzales de Salas ex *mimo*, *mimico* fecit, at in quem ſenſum? nimirum, vt de tibia è laſerpitij caule perforato confecta, quam puer inflaret

flaret, locũ interpretaretur. ita Lorychius, Gonzales, & Morreao. Deſinite, præſtantiſſimi doctrina Viri, has nugas vẽdere. Si Aegyptiacus puer circumferebat argenteum clibanum, quo pacto tibiam, quam laſerpitiariam ſomniaris, inflare potis erat? Iam paulò ante Alexãdrini eiuſdem Trimalcionis pueri, qui non alij ab Aegyptiacis, cùm menſæ inſeruirent; *Ne in hoc quidem tam moleſto tacebant officio, ſed obiter cantabant.* ſimili modo canticum, quod hic extorquebat, nõ erat tibiæ ſonus, ſed vocalis muſica. Non igitur aliquid mutandum ex veteri lectione, quam vel idem agnoſcit Gonzales, *De laſerpitio & minio.* Vel, ſi quid mutandum, pro *laſerpitiario*, quæ nihil eſt, vſu probatam vocem recipio, & lego, *De laſerpitiato minio*; vt ſit ſenſus, De argutulo, ac fucato labio canticũ extorquet. Nec inſolens hoc in Petronio, nã ſi *dicta factaq; papauero, & ſeſamo ſpargit*, aptiùs *iocoſas, ſalaceſq; delicati oris cantilenas* Lybici caulis ſucco, ac minij purpuriſſo indicauerit.

Annectendum rurſus, quod Plutarchus admonuit; Pueros facultate diuinandi præditos ab Aegyptijs putari, & præcipuè ominis loco accipi, *ſi quid ij in templis ludentes fortè pronunciant.* Plutarch. de Iſid. & Oſir.

Et

Heliod. Aethiop. lib. 9. Athen. Dipnoſoph. lib. cap.

Et cũ Nilus maximum apud eos Numen, & Αἰγύπτιος Ζεὺς à Parmenone penes Athæneum ſit dictus, non eſt mirum, ſi Niliaci puerorum luſus in magnam æſtimationem deuenerint.

Alterũ Hadriani Numũ cum Nilo, & Luſorio nauigiolo, quis hactenus ad hunc ſenſum obſeruauit? habes tamen apud eumdẽ Auguſtinum, ex quo & nos tranſcripſimus.

Ioci ſimul, Luſuſq; figuras, vel, vt dicam rectiùs, Ludum Iocumq; (ſic Cicero, ſic Terentiùs & Veteres præſtãtiores ſimul vtrũq; complectuntur) vno in lapide expreſſos obſeruauimus; in Arca ſcilicet marmorea, quæ Romæ apud S. Saluatorem ad Laurum, in cauædio, propè puteum, ad vſum aquæ excipiendæ ſeruatur. Præſtatq; in antiquitatis venerationem, reiq; quam tractamus, intelligentiam, illius exemplũ adamuſſim delineatum apponere.

Hoc marmore nihil elegantius, nihil venuſtius; ſi ad mores priſcis æui reſpicias. Iocantia diuerſi generis, & per aërem excurrẽtia Numina, præfixam haſtæ ipſius IOCI Iconem, velut feſtiuæ militiæ ſignum, deferũt. Hæc propriè, quę olim *Iocoſa imago*; ea tamen nõ vna figuratione, ſed diuerſimodè, pro locorum, perſonarumq; Genijs, & temporum


F.106

porum conditionibus exprimi ſolebat: quod ſi hoc ſolummodo agerem, pluribus conarer aſtruere. Hinc ſanè declarantur apud Horatium loca quæ hactenus, præſidenter dicam, puto intellexiſſe neminem. Huiuſmodi eſt.

Quem Virum aut Heroa lyra, vel acri
Tibia ſumis celebrare, Clio?
Quem Deum, cuius retinet Iocoſa
Nomen imago?

Gradatim ex Dijs medioxumis, poſt Viros, Heroaſq; ad Diuos, qui, vt inquit Cicero, cœleſtes ſemper ſunt habiti, procedens Poëta, *Iocoſa imagine*, olim re vulgatiſsima, illos complexus, Iouem, cæteroſq: maiorum Gentium Deos laudare exorditur. Hinc paulatim deſcendit per eoſdem Iocoſæ imaginis Diuos. an nō inter eos accēſendus Bacchus, Cic. lib. 2. de leg.

------ Choreis aptior, & iocis,
Ludoq; dictus.

Et quem non ſemel Poëta, & in hūc ſenſum *Iocoſum* appellat. deinde ad Heroas, & ad Auguſtū deflexit. Fruſtrà igitur ſunt, vt nemo hactenus non fuit, qui pro Iocoſa imagine Echo intelligunt: & perperam τὸ *retinet*, bonam, inculpatamq; lectionem plerique non retinent.

Longè etiam falluntur Interpretes in decla-

declaratione illius Carminis;

Horat. lib. 1. carm. Od. 20.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipſe teſta
Conditum leui, datus in theatro
Cum tibi plauſus,
Care Mecænas eques: vt paterni
Fluminis ripæ, ſimul & iocoſa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Explicant enim, Mœcenatem in Theatro tanto plauſu exceptum fuiſſe, vt Vaticanus, & Tibris reſultarẽt fauentium ſtrepitu. Quid hinc magnum? clamor etiam in deriſum erat. &, ſi quando in honorem, ſportulis redempti mancipes adhuc minimè dignis infinitos clamores commouebant. Aliter ſintaxis, & ſenſus. Videlicet, Se condidiſſe, inquit Horatius, *vinum Sabinum*, vel quod idem eſt, *conditum Græca teſta* illeuiſſe, quo tẽpore *datus* Mœcenati *in theatro plauſus*. Vini ætas indicatur: & ideò condidiſſe, *vt* quãdoq; eo potato (aptè quippè reſpondet) *redderet laudes*. Ode, qua eum ad cõuiuium inuitat, cum ipſa honorifica theatralis plauſus commemoratione, laudũ redditio quędam eſt: quas *laudes paterni fluminis ripæ*, & ſimul *iocoſa Vaticani montis Imago*, velut theatrum alterum, exhiberet. Sic enim deſi-

gnat

gnat Geniū loci,quo illum, miſcens poculis laudes,genialiter erat excepturus. Et hæc digna Horatianæ venuſtatis ſententia.

Luſus exhibent (ad Marmoris explanationem,& ad rem noſtram redeamus) Nauigiola, & diuerſimodè colludentes alatæ Animulæ. Hæ regionem infimā occupant, ſuperiorem,& aeream, iocantes; quòd Ludus factis, Iocus verbìs diſtinguatur. Puellæ imago vni ex lemnuculis inſidentis, eius videtur, quæ condita tumulo, & cuius deliciarum ſymbola in ipſa ſcalptura lapidis deſignata.

Mentionem de his inieceram Illuſtriſſimo Viro Caſsiano Equiti de Puteo: qui, vt eſt elegantiarum arbiter, & omnis ſelectæ antiquitatìs promus conduſq;, ſingulari me locupletauit beneficio, nuperrimè effoſſum indicans ſepulchrale Marmor: quod ſingulari induſtria effuſaq; in promouendis bonarum litterarum ſtudijs beneficentia, Eminentiſs. Princeps F. Card. Barberinus ſibi per eundē Equitem comparandum curauit. Vtinam integrum haberemus! ſed quale id ſit Luſorij nauigij nobiliſsimum ſpecimen exhibet. Omnia enim luſionis, & feſtiuitatis cauſa in eo expreſſa; præterquàm Palmarū arbores, quibus ſcilicet Regio aliqua proculdubio deſignatur. Non me fugit Palmam in Num.

T.Ve-

T. Veſpaſiani Iudæam connotaſſe: poterit & Syriam vniuerſam commodè ſignificare; quòd his plantis abundet. Sed placet magis de ea parte, quæ ſpeciatim Phœnicia dicta eſt, explicare. Regio ipſi arbori cognominis, quæ ἡ φοίνιξ, καὶ ἡ φοινίκη Græcè appellatur. O' quantum hinc ad nos deliciarum! ſed non has proſequi mei eſt operis. Punicam etiam regionem per hanc arborem deſignatam, ſimiliter in Numis apud Ant. Auguſtinum, & alios erit videre.

Tab. 6.

Nō puto igitur ambigendū, quin Phænicis Viri, vel fortaſſe etiam Puellæ monumētum fuerit; nec alia ratione inſculpta inibi nauiculantium Puerorum imago, calamorū inflatio, & Crepitaculi ſuccuſſus expreſsi; cuius Inſtrumenti peregrina ſpecies, nec hactenus cognita, admirationem habet; & è feneſtella exſertus alterius iocantis Puelli vultus; niſi vt, quos, viuens, luſus, iocoſq;, prębe-ret, ſiue Vir, ſiue Fœmina, cuius cadauer vrna ſeruaret, huiuſmodi ſculptura, poſteris, vel etiam illiteratis hominibus, conditor teſtaretur.

Frequentes in Amaſiorum Epitaphijs hi affectus, & inſcriptionum formulę; Perijſſe iocos, luſus, veneres, deliciaſq; extinctas. Vnicum pro multis exēplo ſit, quod delegimus

Epitah. Pa-ſid. Epig. 14 lib 11.

&

& non immeritò integrum ſuprà attulimus, Martialis Epigramma. Sed libeat ſepulchralis huius Marmoris typum hìc apponere.

Ecquid aliud innuiſſe Epiphanium credere par eſt; cùm Antinoum ab Adriano, in Vrbe Antinoi, cùm Luſorio Nauigio ſepultũ dicat, præterquam affectum indicaſſe Imperatoris, qui florem Iuuenculorum ab ætate, à venuſtate, ab elegãtijs, & morum ſuauitate poſteris cõmendatum volens, ijs Imaginibus illius tumulum inſigniuerit? nec his contentus vſus deq; habita Numinum religione, etiam nomen in Deorum albo deſcripſerit.

An propter Antinoũ in ſupra allatis Hadriani Numis, ſimul cum Nilo nauigium fuerit Luſorium expreſſum, alijs relinquo conieєtandum. Fortaſſe Imagunculam Iuuenis ſuper pede Nili ſtantis, Antinoum deſignaſſe, non eſſet abs re affirmare. Sed quidquid ſit, liquet ſanè non in Nilo perijſſe Adoleſcentem; non enim linter, quo per Fluuium nauigat, ab Hadriano conſecratur; nec Nauigij ſignaculo inter Aegyptiorum Deos repoſitus.

τὸ λȣσώριον Latinum vulgatum, protritumq; vocabulum, & quod, vt ſic dicam, tot imaginibus in religionem venerat, è re ſua putauit sãctiſſimus Scriptor potiùs vſurpare,

quàm

quàm vti alio quouis Græco καὶ ἰσοδυνάμῳ. Rurſus ab his imaginarijs, Nauiculæ, quibus limitanei milites vltro citroq; flumina decurrebant, Lvſoriæ dici καταχρηστικῶς meruerunt; cum nihil minùs, quàm luſoriæ; vt potè, quæ armatæ ipſæ, & militibus armatis eſſent inſtructæ. Sed non eſt cur ampliùs in his immorari debeamus.

Quam latè apud Gentes diuagetur error. Cap. VII.

Hæc ſententia plurìmos etiam ex eruditis turbauit. & Poëtas præcipuè, qui mori in fluctibus omnium grauiſsimum eſſe dixerunt. Heracliti locus pręter aliorum opinionem expoſitus. ψυχὴν aërem etiam ſignificare. Plura de Anima ex veterum Chaldæorum, & Iudæorum ſententijs. Heronis, & Leandri fabella allegoricè expoſita. τοῦ, θανεῖν, καὶ ὄλλυσθαι differentia. Quanam ratione mors iſta in aquis perdenda, *item &* pudenda *dicatur. Aliorum præterea Poëtarum loci quà ſuppleti, quà præter communem ſenſum expoſiti. & potiſsimùm Achilles Tatius. Quam altè hæſe-demum iſta opinio hominum pectoribus hæſerit, Syneſij teſtimonio demonſtratur.*

IAm ſubindicatis fontibus, ad demonſtrādum feſtinat animus, quàm latè inter Gē-

tes

tes indè deriuata iſthæc ſeſe effuderit præuaricata opinio. Vetus dictum, &, quod dolendum, nouo ſemper experimento probatum, Nullam, quàm errorũ ſegetem, eſſe fertiliorem: illam igitur cùm vulgò receptam, tum apud eruditos, clarè teſtatur (vt ab grauiſſimo, & probatiſſimo Auctore exordiar) Athenagoras, Oratione, quam de Reſurrectione Mortuorum inſcripſit; ὃ δὴ καὶ μάλιστα ταράττειν ἔδοξέ τινας, καὶ τῶν ἐπὶ σοφίᾳ θαυμαζομένων ἰσχυρὰς οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἡγησαμένων τὰς παρὰ τῶν πολλῶν φερομένας διαπορήσεις. οὗτοι δέ γε φασὶν πολλὰ μὲν σώματα τῶν ἐν ναυαγίοις, καὶ ποταμοῖς δυσθανάτων ἰχθύσι γενέσθαι τροφήν. *Quod ſcilicet Viros eruditione admirabiles viſum eſt plurimum perturbare; qui vulgi hæſitationes, neſcio quo pacto validas, grauesque arbitrati ſunt: iſti aiunt multa corpora Hominum in naufragijs, & fluminibus interemptorum, piſcibus de ſe eſcã præbuiſſe.* Adhibet vocem δυσθανάτων; quam Interpres omiſit, ſiquidem vulgarem ſenſum, & duplex iſtud exitium exprimit. καταχρηστικῶς autem, & meritò, ab Athenagora vſurpatur, minimè propriæ ſignificationi conſentiente, vt ex verborum cõtextu liquet apertè. Haud enim in hac parte propoſitam refellit ſententiam, ſed quatenus miſerorum cadauera

Athenag. cum S. Iuſt. Mart. edit.

marinis feris depaſta, deinde in hominum eſcam abſumpta, obſtare mortuorum reſurrectioni videbantur. Non mirum igitur, ſi apud varios Auctores, & Poetas maximè, quorum, populo gratificari mos eſt, plurima in hanc ſententiã loca reperiuntur, & ex quã multis pauca aliqua huc transferre ſit operæ pretium: illud in primis non omittendum, quod, Homeri ætati ſuppar, & æquè magnificiendus, dixit Heſiodus,

Heſiod. in Erg.

Δεινὸν δ' ἐστὶ θανεῖν μετὰ κύμασιν.

Graue eſt mori in fluctibus;

cum ad idem Homeri ſignum collimauerit. Sed cur Orphæi carmina prætermiſimus, cũ Orphæo tribuatur Heracliti dictum, quod in rem noſtram Auctores adducũt? Pauci ex ijs, qui Virgilium, vbi Aeneas mortem in aquis timet, explicant, non ad Seruij rationem hanc Heracliti ſententiam annectunt; ψυχῇσι θάνατος ὕδωρ γίνεσθαι. *animabus mors aqua eſt*. Laudant, vt alios prætereã, ex Neotericis la Cerda, & Gallutius, &, extrà Commentatorum cœtum, Vir eximiæ eruditionis Antonius Clarus. Ego, re perpenſa, fruſtra id factum comperi, &, vt abſtergatur vulgatus error, proferã integrũ Clementis Alexãdrini locum, quo vtriuſq; cùm Poetæ, tum Philoſòphi producuntur verba:

Ant. Clar. com. in leg. c.8. pag. 112

Clem. Alex. lib. 6. Strom. fol. 624.

Og-

Ὀρφέως δὲ ποιήσαντος;

Εστιν ὕδωρ ψυχὴ, θάνατος δ' ὑδάτεσσιν ἀμοιβὴ,
Εκ δὲ ὕδατος γαῖα, τὸ δ' ἐκ γαίας πάλιν ὕδωρ.
Εκ τοῦ δὴ ψυχὴ ὅλον αἰθέρα ἀλλάσσουσα.

Ηράκλειτος ἐκ τούτων συνιστάμενος τοὺς λόγους, ὧδέ πως γράφει, ψυχῇσι θάνατος ὕδωρ γενέσθαι· ὕδατι δὲ θάνατος γῆν γενέσθαι. ἐκ γῆς δὲ ὕδωρ γίνεται, ἐξ ὕδατος δὲ ψυχή.

Cum autem feciſſet Orphæus;

Lympha animæ eſt, ſed mors eſt commutatio Lymphis;
Ex *Lympha tellus, Lympha ex tellure creatur;*
Ex illa autem anima eſt, integrum quæ aera mutat.

Heraclitus ex his, ea, quæ ab ipſo dicta ſunt, componẽs, ſcribit, Animabus mors eſt aquam fieri: aquæ autem mors eſt fieri terram: ex terra autem fit aqua; ex aqua; verò anima. Liquet ſanè de elementis, rerumq; initijs tam apud Orphæum, quàm apud Heraclitum ſermonem eſſe, ac de eorum inter ſe mutationibus. vbique τὸ, ψυχὴ non humanus animus, ſed aer eſt. Idem eadem voce Ennius noſter expreſſit;

Aqua, terra, anima, Sol.

Hieronymus Columna, vt ex Epicharmo Enniũ ſententiã mutuatũ eſſe doceat, ſup- In Epichar. apud Columnam.

plet eius verſum ex Menandro. ;

Aqua, terra, anima, Sol ignis, ſidera.

Mihi arridet Orphæum exprimi potiùs, quàm Epicharmum. Quòd verò anima pro aere ſit, optimum eſt Ciceronis teſtimoniũ; nã cõuertens verba illa Platonis in Timæo, οὕτω δὴ πυρός τε, καὶ γῆς ὕδωρ, ἀέρα τε ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ θεὶς καὶ πρὸς ἄλληλα καθ' ὅσον ἦν δυνατὸν ἀνὰ τὸ αὐτὸ ἀπεργασάμενος, ſic habet,

Ita contingit, vt inter ignẽ, & terram aquam Deus, animamq; poneret eaque inter ſe compararet ac proportione coniungeret.

Eamdem vocem retinuit Lucretius;

Et qui quattuor ex rebus poſſe omnia rentur,
Ex igni, terra, atq; anima procreſcere et imbri

Ne tamen ſuſpicio oriatur, ſi ſuſpicari fas ſit, inuerſam à Clemente Heracliti ſententiam, proferamus Imperatoris, & Philoſophi teſtimoniũ, Marci, inquã, Antonini verba, Ἀεὶ τοῦ Ἡρακλειτείου μεμνῆσθαι, ὅτι γῆς θάνατος ὕδωρ γενέσθαι, καὶ ὕδατος θάνατος ἀέρα γενέσθαι, καὶ ἀέρος πῦρ, καὶ ἔμπαλιν. *Dictum Heracliti ſemper eſt memoria tenendum: terræ mortẽ ſcilicet eſſe aquam, aquæ aẽrẽ, aẽris ignem: idq; viciſſim.*

Mar. Ant. de Vita ſua lib. 4. commate 37.

Verùm enimuerò, ne Heraclitum exautoratum dimittamus, alia ipſius in medium proferatur ſententia, digna ſanè cuius hic fiat mentio, vt alibi facturum promiſi.

Adſcribunt Porphyrius, & alij paſſim Heraclito, illud ipſum enunciaſſe, Ζῶ͂ν ἡμᾶς τὸν ἐκείνων, loquitur de Animabus, θάνατον, καὶ ζῶν ἐκείνας τὸν ἡμέτερον θάνατον. *Nos illarum mortem viuere; & illas noſtram mortem viuere*. Hæc Axiomata vt Orienti vindicem, & ſimul explicem, monent quæ de Anima, ex veterũ Chaldæorum, & Iudæorũ ſententijs, colligit inſignis Vir Gilbertus Gaulminius, à quo nonnullas excerpſimus, quarũ sũt; *Deus cùm ſecundùm eius decretũ aliquid naſci debet, Angelum puerperiorum Præſidem docet, ex coitu illius, & illius naſciturum τὸν δεῖνα: itaque iubet tollat ſemen, & curet: quod facit, Deoq; offert, &c. Statim imperat Angelo puerperij*, is idem eſt vt puto, qui ψυχοταμίας ab Hermete dicitur, *vt Animam de Gan Edẽ (eamque deſignat) ſibi ſiſtat. Deſignatam Animam iuſſus Angelus Deo ſiſtit, qui vt ſemen hoc, vel illud ingrediatur, licèt renuẽti, imperat. Poſt mandatum etiam inuitam matris viſceribus Angelus claudit. Clauſo iam fœtui duo Angeli cuſtodes tribuuntur. Accenditur ad caput lucerna, qua videt à fine orbis ad finem, &c. Interea creſcit, ac formatur in vtero. Tandem egreditur vtero; ſed Angelo cogente, qui lucernam extinguit, vnde omnium rerum obliuio. Sic*

Gil. Gaul. lib 3. Not. ad Vit. Moſ. cap. 9.

Hermes apud Patr. lib. 13. pag. 35. 6.

 in-

innuunt occultatas ſpecies, quas habemus cõcretas, ſed quibus non vtimur in hac vita; quæ magni etiam Alberti ſententia fuit. Bone Deus! quid eſt hoc commentum, in ipſis humanæ natiuitatis primordijs lucernam extingui? niſi, quod Heraclitus ait, ὅτι ζῶμεν τὸν ἐκείνων θάνατον. *nos illarum mortem viuere*. Iam, vt à principio deſcripſimus, & nunc prȩſtat iterum magni Philoſophi repeti verbis, Σφαῖρα ψυχῆς αὐτοειδής, ὅταν μήτε ἐκτείνηται ἐπί τι, μήτε ἔσω συντρέχῃ, μήτε συνιζάνῃ, ἀλλὰ φωτὶ λάμπηται, ᾧ τὴν ἀλήθειαν ὁρᾷ τὴν πάντων, καὶ τὴν ἐν αὐτῇ. *Animus globo ſimilis eſt, figuræ æquabilis, quãdo neq; effert ſe, neq; contrahit, ſed lumine fulget, quo in omnibus rebus veritatem cernit, & in ſequoque ipſo:* contingit autem extinctio, cùm exũdãte humore, eius lumẽ obruitur. Nec aliter ab Aegypti Sapiẽtibus hæc animæ mors explicatur. Audiamus Hermetẽ; Ψυχὴ γὰρ πᾶσα ἐν σώματι γενομένη, εὐθέως ὑπό τε τῆς λύπης καὶ τῆς ἡδονῆς κακίζεται. σώματος γὰρ συνθέτου ὥσπερ χυμοὶ ζέουσιν, ἥ τε λύπη, καὶ ἡ ἡδονή, εἰς ἃς ἐμβᾶσα ἡ ψυχὴ βαπτίζεται. *Nimirum omnis Anima, in corpus manãs, confeſtim mœrore & voluptate deprauatur: à corpore namque compoſito mœror, voluptas, ac humores exæſtuant: in quæ anima imgreſſa mergitur.*

Marc. Ant. de Vita ſua lib. 10. com. 10.

In Pimand. cap. 12.

Hæ

Hæc lucerna prælucet alteri, quam in alta Turri apud Seſtum, Aſiæ in Helleſpōti littore Oppidum, viuā pariter, & deletam agnoſcimus. Allicit me illud lumen, ac etiam extinctum prolectat animum, vt ad ſe ſtylum conuertam efficiens. atque adeò Heraclitææ ſententiæ alteram partem aliò explicandam amandabimus; eritq; , ni fallor, commodus locus, poſtquam de Cleombroto fuerit dictū. Porrò, ſi quæ hactenus de Lucerna, & de merſione animæ indicauimus, ἀλληγορικῶς narratione de Leandro applicare libitum eſſet, quā admiranda & quàm ſatis conueniens inde eliceretur ſentētia! ſed cum facilè quiſpiam per ſe ipſum illam expromere potis ſit, tranſeo ad exponendi genus hiſtoricum, quò Muſæus, vel qui alius fuit Poematis Auctor, cùm Leandrum in aquis perijſſe tradat, ab Homeri ſcopo non aberrans, immò ſimul cum eo errans, animo etiam extinctum manifeſtiſſimè declarat: etenim infelicisſimi Amatoris fatum deſcribens, hos verſus protulit;

Καὶ ποτὸν ἀχρήϊστον ἀμαιμακέτου πίεν ἅλμης.
Καὶ δὴ λύχνον ἄπιστον ἀπέσβεσε πικρὸς ἀήτης,
Καὶ ψυχὴν, καὶ ἔρωτα πολυκλαύτοιο Λεάνδρου.
Quin & ſponte frequens irrupit gutture Pontus,

Inſuauẽ cumulãs potum non vtilis vndæ;
Atq; infida nocens extinxit lumina vẽtus,
Leandriq; animam, & miſerandum extinxit amorem.

Vnico verbo, & animã, & lucernã, Stoicis etiam noſtris obſecundans, extinctas dixit; & Aiacem alterum, à potu marinæ aquæ omninò exitio interemptum, expreſſa Homeri imitatione, quam agnoſcere opus eſt, repræſentat. Non me fugit τὴν ψυχὴν, apud antiquos, probatoſq; Auctores ſumi aliquando pro vita; & ita illud Homeri à quibuſdam accipi,

Iliad. 1. uer. 323.

Αἰεὶ ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν.

Semper animam meã exponens in bellis; hoc eſt,

Vitam meam in periculis ſemper habens.

Hom. Iliad. 24.

& alibi. Sed Muſæum certum eſt, δυσαίατον, καὶ λευγαλέον ὄλεθρον, indicare voluiſſe: neque id vidit Magius, qui aliter hunc ediſſerit locum. Firmant, quæ de Heronis nece ſubnectit; nam, cùm ex alto præceps, & ſuper ſolidum illiſerit; hoc eſt παρὰ κρηπῖδα δὲ πύργου, Turris fundamenta, iuxta quæ in ſicco delatum Amatoris cadauer iacens inſpicere, & cognoſcere potis fuit, & quò ſuper illiſa, occubuit, Græcè,

Καδδ' Ἡρὼ τέθνηκεν ἐπ' ὀλλυμένῳ παρακοίτῃ.

Sanè

Sanè, quod ex Homero, Callimacho, alijſq; Auctoribus non caret obſeruatione, τέθνηκεν de Herone, ὀλλυμένῳ de Leandro dixit: hoc eſt alteram *vita functam*, alterũ *omnino interijſſe*: quod in inuocatione, & præpoſitione Poematis item expreſſerat:

> Ἀλλ᾽ ἄγε μοι μέλποντι μίαν ξυνάειδε τελευτὴν
> Λύχνου σβεννυμένοιο, καὶ ὀλλυμένοιο Λεάνδρου.
> *Ergo age, & exitio Dea cõmemoremus eodẽ*
> *Extinctamq; facem ſimul, extinctumq; Leandrum*

μίαν τελευτὴν, ac ſi pro ea, quæ inter animam, & Lucernam ſimilitudine intercurrit: de qua paſsim Scriptores teſtantur: hanc illam poëticè καθ᾽ ὑπόνοιαν (vt planè non dubito) ex induſtria indicaſſe appareret. Muret. Var. lect. lib 7. c. 6. Pier. Valer. Hier. lib. 46

Non diſceſſiſſe ab re propoſita Euripides videtur in Dramate, quod Helenã inſcripſit: vbi Menelaus in mari fingitur mortuus: & interroganti Theoclymeno, Eurip. in Helen.

> Θανάτῳ δὲ ποίῳ φησὶ Μενέλεων θανεῖν,
> *Quo autem mortis genere Menelaum perijſſe.*

reſponſum aptat, *miſerrimo*, hoc eſt *humidis maris fluctibus*.

> Οἰκτρότατον. ὑγροῖσι κλυδωνίοις ἁλός.

& hoc fatum deinde verbo ὀλολεῖν, itera-

Sen. Trag. Agamen.

tò expreſſo. Cum Euripide coniungendus Latinus Tragicus; nam Græcorum mores imitatur:

----- quisquis ad Troiam iacet
Felix vocatur; cadere qui meruit manu,
Quem fama ſeruat, victaq; tellus tegit:
Nil nobile auſos pontus, atque vndæ ferēt?
Ignaua fortes fata conſument viros?
Pudenda mors eſt.

Accuſat *ignaua fata*; nam ſortitò huiuſmodi mortem contingere, peculiari animaduerſione obſeruatum: & *inertia*, vt Delrius admonuit, in eadem calamitate Pedoni Albinouano dicta:

Delr. in Sen. Agamen.

Ped Albin. de Druſ. Nauig.

Seq; feris credunt per inertia fata marinis,
Tam non felici laniandos ſorte relinqui.

conſumere ait viros, quòd maris hoc ſit proprium: ita Minutius Felix, ſiue hunc locum, ſiue aliū imitatus, loquitur; *Nec interſit vtrū feræ diripiant, aut maria conſumant. &c.* *Pudenda mors*, an *perdenda mors*? ambigua Lectio. vtramq; retinent boni Codices. Si vltima placet, non cum Delrio explico, vt mors ſine hoſte, ſine vindicta, iactura non ſit; ſed figuratè, vt *Pallida* alijs vel *Naufraga* dicta eſt; quia nimirum talis, quæ conſumat viros, & totum hominem peſsimè perdat. Hoc verbo vtitur Spartianus, cū Adriani

Minut. in Octau.

Spart. in Adrian.

ni fidem ſequutus ait; *Antinoum ſuum, dũ per Nilum nauigat, perdidit*. Ad priorem lectionem annuit Papinius Statius, carminibus & huc meritò adducendis: Papin. in Theb.

Fluuio, pudet, Mars inclyte, merges
Hanc animam:

Qui pudor hinc fluxit, quòd turpis etiam viſa hæc mors, nam & damnatorum, vt poſthac dicemus; locus eſt Petronij. *Præligemus veſtibus capita, & nos in profundum mergamus. Nec iſtud Dij, hominesq; patiantur, Eumolpus exclamat, vt vos tam turpi exitu vitam finiatis*. Notanda adhuc in Papinio emphaſis; quam in eodem mortis genere etiam Ouidius eleganter expreſſerat: Petron. Satir. Ouid. Triſ. lib. 1. Eleg. 2

Opprimet hanc animam fluctus.

tempeſtate enim agitatus Naſo, cùm Pontũ nauigaret, metu inſtantis mortis concutitur. Addit deinde Statius noſter; Stat. ibid.

---ſegnesq; lacus, & ſtagna ſubibo,
Ceu pecoris cuſtos, ſubitò torrentis iniquis
Interceptus aquis?

Quibus verſibus, vt Subulci comparatione, ſic ſententia Homerum imitatur: & Homeri locus iam ſupra in rem noſtram perpenſus. Hom. Iliad. φ.

Huc reſpexit fortaſſe Ennius, è maiore Græcia Auctor, quem falſa de igne mentis Ennius In Epicharmo.

imbue.

imbuerat opinio,vt eius teſtantur carmina, Citat illum Cicero: *Execratur luculentis ſanè verſibus apud Enniũ Thieſtes,primũ vt naufragio pereat Atreus; Durum hoc ſanè;. talis enim interitus non eſt ſine graui ſenſu.* Integros verſus profert alibi Cicero: qui tamen, & Lucilio Aurumcano tribuuntur. ex eo ſcilicet,ſi credimus Columnæ, & Saluagrio, quod tamquam vulgatum. ab Ennio, tamen profectam ſententiam ſuis Carminibus interſeruerit:

Cic.1.Tuſc.

Cic.Orat.in Piſonem. Ennius in Thyaſte. Lucill.lib.19 Satyr. Hier.Colu. in Ennium. Dion. Saluag. com. in Ibim. Ouid.

Vt naufragio expulſus, vſpiam ſaxis fixus aſperis,
Euiſceratus latere penderes, ſaxa ſpargens tabo,
Sanie, ſanguine atro.

& vtrobiq; Thieſtæam iſtam execrationem, quod ad genus mortis attinet, ſupra omne malum reponitur, & vt tale ab Hercule etiam expetitum,ſi Poëtis,& eidem Ciceroni credimus:

Cic. Tuſc.2

Heu quis ſalſis fluctibus mandet
Me ex ſublimi vertice ſaxi?

Riſu excipiendum, quod tamen Hieroclem quendam Miraculorum Scriptorem Auctorem meruit; Adoleſcentuli cuiuſdam Corcyrei amatorem, quod eo frui non poſſet,in mare ſe ſubmerſiſſe:& tanti fuiſſe hanc mor-

Aen.Gaz. Dial. de im mort.anim.

mortem, vt idē παλιγγενηθεὶς, & in hominum vitam reuerſus adoleſcens, ac ſi inter manes minimè amatorem reperiſſet, cum eo loci caſu adnauigaret, ſe ipſum de ſeueritate obiurgans, ſucceſſus fleuerit recordationem. In Florilegio Epigrammatum ſunt, quæ huc pertinent; ſed an illud, Epig. Græc. lib. 1. c. 16.

Εἴ τις ἅπαξ γήμας, πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει

Ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον:

planè ambigo: imò palam nego; aliter tamen illi viſum, quisquis fuerit, explico tamē. Huius iocus eſt; Sicut qui in mari naufragium facit, bis perit; ita qui ad ſecundas nuptias conuolat, bis naufragus efficitur. Sed qui priorem vxorem extulit, non facit naufragium; ſecunda igitur inducta, vnico naufragio bis bigamus naufragatur, hoc eſt non vnica, ſed duplici multatur morte. Cæterùm Menander apud Atheneum adhuc in primis nuptijs maritorum naufragia deplorat in hunc ſenſum, (quisquis fuerit verſionis Auctor.) Vide Tiraq. in l. bones § hoc ſerm. ff. de uerb. ſignificat. nu. 157.

Qui ſequitur rurſus thalamos, vxore ſepulta,

Naufragus horriſono bis perit ille ſalo.

Non omittendum alterum Epigramma

diſti-

quod ex eodem Florilegio deſumptum ad rem noſtram facere Magnus Vir arbitratur; &,cùm ita ſit, vnà cum eadem eius interpretatione libuit tranſcribere :

Ant. Clar. Sylu. lib. ſing. in leg. Rom. c. 25.

Αἶ αἶ τόνδ᾽ ἤδη φάγον ἰχθύες, ἡ δὲ περισσὴ
Πέτρος ἐγὼ τὸ μάτην γράμμα τυπωθὲν ἔχω.

Rectè ſe lapis inutilem ait, & fruſtra nomen naufragi inciſum habere: quia non erat. (nam nomina etiã cenotaphijs inſcribebantur) ſed cùm ad animæ ſtatum peiorandum, vel meliorandum nihil afferat ſepulchrum, aut ſepulturæ priuatio, ſed ad memoriam mortui, quam omnes natura appetunt (quia eſt vmbra quædam immortalitatis, obliuio verò mortis) ideò naufragio peremptis ſepultura maximus honos habebatur. Cæterùm cùm *huius* naufragi anima nõ eſſet amplius, *& memoria animæ, non amplius exiſtentis, inanis ſit, ideò inane ſepulchrum.*

Porrò ſi huiuſmodi interpretationẽ Docti recipient, ſatiùs eſſet Callimachi Epigrãma recenſere : dandum hoc tam celeberrimo Poëtæ, qui altero nos iuuit Carmine, quod in principio huius Diſſertationis ſatis appoſitè attulimus : Inane pariter in eo nomen aſſeritur, vt inane ſepulcrum;

Callimach. epig. 22.

Ὤφελε μηδ᾽ ἐγένοντο θοαὶ νέες, οὐ γὰρ ἂν ὑμεῖς
Παῖδα Διοκλείδου, Σώπολιν ἐστένομεν.

Νῦν

Νῦν δ' ὁ μὲν εἰν ἁλὶ που φέρεται νέκυς, ἀντὶ δ' ἐκείνου
Οὔνομα καὶ κενεὸν σῶμα παρερχόμεθα.

O' vtinam nauis nunquam fabricata fuiſſet,
Nam neque te natum Sopoli Dioclide
Fleremus: nūc exanimem iactat mare, proq;
Te, nomen vacuum viſimus, & tumulum.

Et quidem non temerè factum, ſi cenſoria virgula vexabimus Adagiorum antiquū Interpretem in Sylloge Prouerb. quam ex Vaticano. Cod. edidit Scottus: apud quem ὕφαλος φάτις ἐπὶ τῶν κρυφίων. &c. Vat. appēd. cent. 4. prouerb. 30.

Quid magis inſulſum, famam eſſe, & obſcuram? quod obrutum vndis dicitur, rem penitus abrogatam ſignat: hinc digna aquis carmina, quæ indocta, & proinde non legenda, ſed delēda reputantur. Acutè ſæpiùs hac in re Martialis; Epig. lib. 1. ep. 6.

Do tibi Naumachiam, tu das Epigrammata nobis;
Vis puto cum libro, Marce, natare tuo.

item;

Imbribus immodicis cœlum iam fortè ruebat:
Non aliter mitti debuit iſte liber. Idem lib. 3. epig. 100.

& Ouidius:

Quid, cum me munus natali miſit? at illa Ouid. lib. 3. Amor. eleg. 1
Rupit, & appoſita barbara merſit aqua?

Verùm coronidis loco Syneſium, quem Syneſ. ep. 4. in hac Diſſertatione doctorem, & ductorem

ſequi-

ſequimur, audiamus. Hic hominum pectoribus quàm altè hæſerit iſthæc opinio, vno exemplo, ſed multiplici teſtimonio demonſtrauit. Nam, cùm pleroſq; Milites nauigationis ſocios haberet, ingruente tempeſtate, & ſpe vitæ depoſita, hos omnes vidiſſe, inquit, ſtrictis adſtare gladijs; ſeq; rei admiratione permotum, ab illis ſciſcitatum, agnouiſſe, timorem de Animæ interitu in aquis, qui ipſius animum pupugerat, itidem in illorum mentem veniſſe, & proinde altiora Nauis tabulata conſcendiſſe, ac in procinctu eſſe, vt animas in aërem efflarent, antequam inter vndas extinguerētur. Eius verba, τούτοις ἐλίττων τοὺς λογισμοὺς ὁρῶ τοὺς στρατιώτας ἅπαντας ἐσπασμένους μαχαίρας, καὶ πυθόμενος ἐμάνθανον παρ' αὐτῶν, ὡς καλὸν ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ὄντας ἔτι πρὸς τὸν ἀέρα τὴν ψυχὴν ἐρυγεῖν, ἀλλὰ μὴ πρὸς κῦμα χανόντας.

Frequēter, huius opinionis præiudicio, iſtud olim vſurpatum, Ciceronis thema nos adCic. de Inuent. lib.2. docet: quod ex his etiam declaratur: *Poſtea*, inquit, *aliquanto ipſos quoque tempeſtas vehementiùs iactare cœpit, vſque adeò, vt dominus Nauis, cum idem gubernator eſſet, in ſcapham confugeret, &c. ille autē, cuius merces erant, in gladium in Naui ibidem incumbere*. Etenim in Homeridarum numero hunc

mercatorem poni,non eſt cur dubitari poſſit. Hinc intelliges Petronij verſus, quos eorum nemo, qui decurtatas Auctoris illius nequitias integras facere deſudarunt,quod ſciam, explicauit;& quidam ex Criticis,proh quàm audaciter! euertere conatus eſt: Io. Miller. Palmer. in Spicileg. cap.6.

------- & mihi fata
Hos inter fluctus quis raptis euocat armis?
Cui non eſt mors vna ſatis? ne vincite pontũ,
Gurgitibuſq; feris altos immittite fluctus.

Non vinci pontum expoſtulat;in ipſa ſcilicet nece inferenda; nam,cùm vna non ſufficiat mors ,haud armis(malè Scaliger *annis*) euocanda fata ; ſed feris gurgitibus altos præcipit fluctus immitti . His ad Achillis Tatij locum explicandum aditus aperitur,& cùm ſit animaduerſione dignus , è re noſtra erit hìc illum attexere .Leucippe, vt viſum Clitophonti, capite à piratis abſciſſo, truncoq; in mari proiecto , & ſepulturæ tradito; accidit , vt Naui ex Alexandria Epheſum cũ Melitte futura ſibi ſponſa Clitophon nauigaret; cùmq; ei nuptias , vel in media ipſa nauigatione,impatienter illa repeteret ; vt vitaret cõiugium,has,ait Tatius,cauſas Clitophontem obtendiſſe : iuſta , quæ nondum Leucippe integrè perſoluerat, fas non eſſe interuertere ; illam in mari vitam reliquiſſe, Scaliger in Catalectis.

& ipſam æquoris amplitudinem illius ſepulchrum factum; & fieri poſſe, vt etiam circa Nauim illius ſimulachrum erraret; λέγουσι δὲ τὰς ἐν ὕδατι ψυχὰς ἀνῃρημένας, μηδὲ εἰς ᾅδου καταβαίνειν ὅλως, ἀλλ' αὐτοῦ περὶ τὸ ὕδωρ ἔχειν τὴν πλάνην. ἐπιστήσεται τάχα ἡμῖν συμπλεκομένοις. Fallitur Interpres, qui hæc verba ita in Latinum tranſtulit: *Animas enim eorum, qui in aquis pereunt, non omninò quidem ad infera deſcendere, ſed propter aquas circumferri aiunt. Ac fortaſſe nobis hic complicatis imminebit.* Etenim hæc pugnarent cum ijs, quæ ſupra ex eodem Auctore ponderauimus. Sed nulla adeſt repugnãtia: falſa iſta Leucippe, nõ in mare à Piratis demerſa, ſed ferro in Naui obtruncata deceſſerat: & Tatius, qui quantum inter vtrumq; diſtaret, probè nouerat; illas animas per aquas permeare aſſerit, quas ἀνῃρημένας dicit; hoc eſt *eorum, qui in mari interfecti ſunt*. Diſcriminis rationem iam in Mutiana apud Ciceronem lege explicanda capite ſequenti indicabimus. *Si* enim in Naui necatorum, & ſuffocatorum idem crederetur exitium, non fuiſſet Euripidi ignotum; qui vtiq; ſubducendæ Nauis in Helenæ fuga ex Aegypto veriſimiliorẽ cauſam, & quæ prorſus futilis adducitur, hinc captare potuiſſet. Et Homerus magnus, vt

Eurip. Tragedia in Helen.

dixi-

diximus, huiuſce dementiæ Magiſter, ne dum ex iam alibi adnotatis de hac differẽtia nos admonet, ſed & illo Odyſſeæ loco, vbi interroganti Telemacho, an Vlyſſes Pater viueret, vel fato eſſet functus? reſpondet Neſtor. *Neque enim quiſquàm poteſt clarè dicere vbinam perierit; an ille in terra domitus ſit à Viris hoſtibus, an in pelago, inter fluctus maris?* cùm alioquin ſat fuiſſet dicere, non eſſe hominem, qui de Vlyſſis vita aliquid certũ nunciaret. Cæterùm, cùm de immaturè, ob violentam mortem, extinctis loquatur Tatius, ſtat ſententia ex veterum vulgata ſuperſtitione, quam, vt meis parcam, verbis Tertulliani enuncio; *Aiunt & immatura morte præuentos, eo vſque vagari iſthic, donec reliquatio compleatur ætatis, quam cùm peruixiſſent, ſi non intempeſtiuè obÿſſent, &c. Proindè extorres inferùm habebantur, quas vi ereptas arbitrantur, præcipuè per atrocitates ſuppliciorum, crucis dico, & ſecuris, & gladÿ, & feræ.* Nec quidquã ſpeciale habet Tatianum dictum, niſi quòd iſtam animarũ aberrationem, etiam περὶ τὸ ὕδωρ fieri potuiſſe ſibi perſuadeat. & quidquid hoc ſit, rectè Clitophonti adſcripſit Tatius, cũ Syris olim propria, & innata huiuſmodi vana credulitas, duplici ex capite; quòd in acerbo fato, in-

Odyſſ. Γ. verſ. 89.

Tertullian. lib. de Anima c. 36. i.

quit Iechiel Mile in Princip. Sapient. anima à corpore ſeparata non ſtatim iudicetur, ſed ſeparationem ſuam lugeat, vt refert. Quod placuit Statio Papinio, cui omnia recondita placuere, in illo carmine;

Stat. de Morte Glauciæ Pueri. Syluar. lib. 2.

Plorantē q; animā ſupra ſua funera vidi.

Item quòd corpus nondum ſepultum. Vnde mentiuntur, animam Abelis, vt in Bereſchit Rabba legitur, nec cœlo receptam, nec apud inferos, in ſanguine ſuper ligna, & lapides diſſipatam eſſe.

Sanhedrin. cap. 4. §. 4. & ibi Schol. Rabba c. 22

De Romanorum Lege, & Religione. Cap. VIII.

Hic etiam error apud Romanos adeò inualuit, vt, ex diſciplina Aruſpicum, Androgyni in mare ſubmergerentur: diuerſa ab ea, quam affert Durantius ratione. Criminum enormitas ex atrocitate pœnæ æſtimatur. Parricidarum pœna ex Iure Pontificio. Locus Ciceronis de Legibus, poſt aliorum conatus, explicatur. Elato funere domeſtico, quomodo familia, hæreſq. purgaretur, commiſſaq. aut omiſſa corrigeret. In defunctos cœremoniæ. Manutij, Clari, Turnebi, Grutteri, Merceri, Guttherij, & aliorum errores, exponendo Ciceronis loco, deteguntur: & Mutianæ legis ſenſus genuinus aperitur. Miſeni funus apud Virgilium expenditur. Naufragis, & eorum memoriæ quomodo conſuleretur. & quæ in ſepulchris exculpi ſole-

ſolerent. Inſcriptio antiqua, & Imago è lapide apud Cæſios. hinc Theſaurus Inſcriptionum corrigitur. Capella in Homeri tumulo, Varronis Diſticho apud Gellium, contra Boethium Luiſinum, & Maggium, patriam Homeri, eamque Chion, de cuius Patria etiam præſtantiſſimum, ac celebrem Tractatum edidit Leo Allatius, innui enunciatur. Aegeum Pelagus vnde dictum. Iſocratis ſepulchrum. Infortunia veteres Capris ſylueſtribus, ſicuti recentiores alijs Animalibus deprecabantur.

NOn decet Romæ ſcribentem Romanas deſpicere antiquitates, nam, cùm non è longinquo petantur, nobis ipſis, ac materiæ deeſſe videremur, ſi, quæ huc pertineant, non etiam conſueta breuitate transferenda curaremus, Sanè illud præ ceteris conueniet huic Operi, nec ſilẽtio prætereundum apparebit, quod ex Auruſpicũ diſciplina moribus receptum erat, in Androgynos vſurpare: quippè cùm huius generis Monſtra minimè educanda, religionis obtentu, Romani velut probatum acceperint; illa in mare deportari, & in profundum demergi curauerunt: vt non vno in loco Iulius Obſequẽs, Libello de Prodigijs teſtatum reliquit. Nec in dubium reuocari poſſe exiſtimo, quin huiuſmodi ritus ab Homeri ſchola defluxerit. Etenim cùm

non naſci talia naturæ portenta ſatius Pontifices reputarent, illa ita denaſci oportere indicabant, vt non ampliùs eſſent: ac proindè, ad euertendum quod impendere malum ex ortu Reipublicæ verebantur, in aquis extincta. vt abolitionis remedio deleretur, quod infauſta natiuitate erat illatum: idque tanta ſeueritate, & religione Aruſpices præſtiterunt, vt vel eos, qui octo, & decem vixiſſent annos, at longa occultatione à periculo immunes viderentur, tunc miſerabili fato deuouerint.

De iſta Androgyni, ex Romanorum inſtitutis, ſubmerſione, ridiculum certè, ſed nollē dictum, quod excogitauit Iacobus Durantius, cùm inquiat expiationis cauſa Androgynos æquoris vndis ſuffocatos, quòd veteres ad purganda, & expianda mala omnia his aquis frequentiſſimè vterentur; nam, vt cætera omittā, ſua in ipſum argumenta, ſuas auctoritates retorqueo; cùm nō perſpexerit quàm diuerſum ſit reſpergi, abluiq; marinis vndis; qua in re intelligitur ſolūmodò expiatio, ab eo, quod eſt, viuēs aliquod Animal in mare necandum proijcere. proiectione enim, atque necatione Androgyni, mare potiùs ipſum pollui, vel Ciceronis, ab eo prolatum, teſtimonium euincit: *Noluerunt corpus*

Pro Roſcio Amer.

pus Feris obÿcere, ne beſtÿs, quæ tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus vteremur. non ſic nudos in flumen deÿcere, ne, cùm delati eſſent in mare, ipſum polluerent, quo extera, cùm violata ſunt, expiari creduntur. Et quid aliud, vt rurſus cum Hermete, eius In lib. ſacro apud Stob.
innuunt verba, quibus aquarum Natura Eclog. phyſ.
ſummum Opificem deprecatur, ne ſinat fluenta contaminari; niſi impuritatem ſignat, cùm flumina & maria vel facinoroſos abluant, vel necatos recipiant? *ἤδη ποτὲ ὦ δαῖμον ἀεὶ ῥεῖθρα ποταμῶν καθαρὰ προσέταξον εἶναι. ἢ γὰρ ἀπολούουσι ποταμοὶ, καὶ θάλασσαι τοὺς φονεύσαντας, ἢ δέχονται τοὺς φονευθέντας.* Conſtat etiam in flumen Androgynos demerſos, reſpecta proinde illa ratione; quia *elementum pelagi ſanctiſſimum, atque nitidiſsimum haberetur.* Nec in pari cauſa idem mihi obijci poſſe credo, quòd aliquãdo hæc monſtruoſa capita non aquis demerſa, ſed alio mortis genere necata.

Siquidem ita à Priſcorum hæreſi deriuaſſe huiuſmodi apud Romanos inſtitutum aio, vt non conſtanter & omni ex parte illam admiſiſſe cõſentiã: *Homeri* enim de hac re doctrinã optimè notauit Iacobus Gutherius, quã *nec Pontifices probaſſe, nec penitus reiecisse certum eſt.* Quamobrem huc referendũ De iur. man. lib. 1. cap. 9.

putat, quod lege Pompeia ſancitum fuit, vt Parricidæ in mare profundum culleo inſuti iactarentur: quod mihi ſummopere probandum; niſi enim hāc rationem, vel huiuſmodi quodpiam in animo Legislatores habuiſſent, ad caſtigandum tam horrendum execrandumq; crimen, ridiculum genus pœnæ excogitaſſent, & nequicquam tot Animalium cōſortio operoſum. Quippè cùm conſentaneū iuſtitiæ videatur, maiora delicta maioribus affici ſupplicijs, & hęc grauiora reputari, quò cruciatus inferunt acerbiores; vt fuit proculdubio viuicrematio, pœna inter ſummas maxima, quæ in Magiā profitentes olim decreta verbis notatu dignis à Iur. conſ. aſſeritur; nā, cōparatione ad alias, illius exprimit grauitatē: *Magiæ artis conſcios*, inquit, *sūmo ſupplicio affici placuit, ideſt beſtijs abijci, aut cruci ſuffigi, ipſi autem Magi viui exurantur*. Hāc profectò grauiſſimam pœnarum exiſtimaſſe Romanos, docet Petronius: *Feræ tamen corpus lacerabant: tamquam meliùs ignis accipiat: immò hanc pœnam grauiſsimam credimus, vbi ſeruis iraſcimur*. Et tamen de eadem pœna in eoſdem ſeruos alibi idem Auctor loquens, habet; *Conclamabo deinde, nocte ſeruos, pœnā grauiorem timentes, præcipitaſſe ſe in mare*. videlicet ſibi ipſis de mitiori

ſup-

ſupplicio proſpicientes; & ſanè qui ſibi mortem, quà furijs, quàuè dementia exagitati audent coſciſcere, aut vitæ tædio, quod olim probatū, laudatumq;, vel in domeſticos puteos, vel in proximum fluentem, animæ exitum faciliorem conſecuturi, ſe dant præcipites: in Tiberino fluuio, ob frequentiam Vrbis, ſæpè hoc viſum ſpectaculum; & nondum anni curriculo, quo hìc moramur, exacto, bis hoc patratum facinus. Ergo, ni Parricidæ ſanguineis, vel, vt altera eſt lectio, Saligineis virgis, antequàm culleo inſuerentur, verberati fuiſſent, profectò dici poſſet, non tàm reos ſupplicio punire, quàm vitę tantummodò interdicere Romanis legibus conſtitutū: vt quam delicti veniam conſequi criminoſi haud merebantur, illam cum mortis genere compenſarent. Pari autem ſceleri ſeueritate tunc in Parricidas animaduersū, cùm poſthabitis tot imaginarijs ſymbolis, nec cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia fruſtra necatis, ignis pœna lex plectendos decreuit, quæ eſt apud Harmenopol. Non igitur tanti ſunt, Lib. 6. c. 6. (ſi rem libet ſub hac conſideratione perpendere) quæ de parricidij pœna, magna cùm emphaſi, tàm aliorum, quàm Ciceronis verbis prolata legimus; denegari videlicet terram mortuo, aerem viuo, aquam naufrago, Orat. pro Roſc. Amer.

littus

littus eiecto: nam quid inde aut ſenſus aut ignominiæ? Incluſus Bouis corio reus (formari ex eo culleum indicauit Iuuenalis) ſenſim per ſuturas admiſſa aqua, extinguebatur: & deinde ita corpus conſumi contigebat, vt ab eo piſcium ictus, denteſq; arcerentur. Non igitur, quod viſu dictuq; horrendū, & ipſa nece execrabilius, ſemeſi, flaccidi, laceriq; cadaueris iactatio conſpicuum debebat ludibrium. igitur in cullei inuolucro ſandapilæ, & ſepulchri (ſerium loquor, nec in animo Plautinus ille iocus; *Crux futura eſt ſepulchrum*) honeſtam quandam ſpeciem ſortiebatur: vt propterea damnati hominis decori potiùs conſultum videretur, quàm ſupremum ſupplicium pœnæ auctario per opprobria, & ignominias fuiſſet oneratum. Sed minimè Parricidis Legem indulſiſſe dicendū eſt. Niſi tamen id ad religionis opinioné referamus, tàm deteſtabile crimen nulla fuiſſet condigna animaduerſione punitum. Verùm illud ex Pontificio iure conſequebatur, vt os quidem ſuper terram non extaret, littus negaretur eiectis, funeſta familia non eſſet, *& nullæ*, vt ſubdit Guttherius, *animo pereunti inferiæ ſoluerentur*.

Quid hoc ſit, breuiter ex Romanorum legibus repetamus; nam diſſertationis argu-

mentum

mentum id exigit,& intelligere maximum erit operæ pretium.

De iure manium, rituque ſepeliendi plurima in obſtrictum religionis cultum apud Romanos venere, curioſè à doctis Viris hinc & illinc excerpta, quę cùm libris tradita, ad manus ſint ſtudioſorũ, nõ compilabimus; cõtenti ſolummodò vnam, & alterã Antiquorum auctoritatem recenſere, quibus inſignis Ciceronis locus de Legibus, variè in varijs editionibus euulgatus ſanari, & illuſtrari queat; quod, poſt magnorum Virorum conatum, abſit verbo iactantia, aſſequi non diffitemur. Domeſtico funere polluebatur Familia, &, poſt elatum cadauer, purgari domus opus erat, & expiari Familia: item hæredi ad iuſta ſoluenda feriæ dabantur, quæ Denicales dictæ. Feſtus; ἀπὸ τοῦ νέκυος deducit νέκυαν, quippè Græci mortuum vocant, & τὰ νέκυα à nece, ſi Ciceroni credimus, appellata ſunt: ſed modò necis vocabulo omne genus mortis exprimi, vt par eſt, intelligamus. Statæ autem non fuerunt, ſed conferebantur in eos dies, quibus nec priuatæ eiuſdem familiæ feriæ eſſent, nec vllæ publicæ. Hæc alijs, vt diximus, adnotata. Si quid autem ab hærede, accepta iure hæreditate, omiſſum peccatumuè eſſet, ſuo capite, inquit Feſtus,

luere

luere ille debebat. Luendi genus quoddam ſacrificium erat, ad quod ipſe obligabatur: apertè Marcus Victorinus; Qui *iuſta defuncto nõfecerunt, aut in faciẽdo peccauerint, his porca contrahitur. qui humatus non ſit, hæredi porca præcidania ſuccidenda Telluri, & Cereri; aliter pura familia non eſt*. & Telluri & Cereri immolabatur. M. Var. lib. 3. de Vita Popul. Roman. notionem vocis Præcidaniæ habes apud Nonium, & Victorinum; nec in eius explicatione immorandum: vide ſis Turnebũ, Chircmannũ, Grutherũ. Quod verò nos omittere non oportet, Feſti eiuſdem locus eſt, *Præcidania* (inquit) *Porca, quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo iuſta non feciſſet, ideſt glebam non in os ieciſſet: quod mos ei erat facere, priùs quàm nouas fruges guſtaret*. quod ni peractum ritè, ſanctéq; eſſet, illam *omnibus annis immolari*, teſte Victorino, non deſinebat. Nullo enim prętextu ab hoc pietatis officio hæres exonerabatur. Nam etſi corpus crematum, abſque tamen iniectione glebę, nec ſepulchrum fuiſſet, nec iuſta ſoluta: decidebatur & in peregrè defunctis etiam os ab mortui corpore; ac reſectum, allatumq; præſcriptis à Pontificibus cœremonijs terra obtegere oportebat: & donec huiuſmodi os humi opertum, ſepultumq;

Apud Nonium in uerbo Præcidan.

tūq; nō erat, ſupra terrā extare dicebatur,& Familia funeſta manebat, ac *humilior* dicta.

Hinc,ne quid temerè factū, aut,quod faciendum fuiſſet, prætermitteretur, cùm defunctus quis in mari eſſet,Pontificalis decreti exacta prouiſio: quod à P.Mutio Pontifice ſub quadam diſtinctione acceptum, repræſentauit nobis Marcus Cicero. Sed quæ verba Tullij dabimus in tanta textuum diuerſitate? inſerendæ tamen variantes Lectiones;vt quid nos ſequi valeamus, clariùs eniteat. Primum exemplum antiqua antiquioris Aldi editio ſuppeditabit,cui nonnullas ex deinceps potioribus comparabimus.

Itaque in eo,qui in 1 Naui necatus,deinde in mare proiectus eſſet;Decreuit P.Mutius familiam puram 2 quotos ſupra terram non 3 extare,4 porcam hæredi eſſet. 5 Contra cenſet habendas triduum ferias, & porco fœmina piaculū 6 pati. Si in mari mortuus eſſet,7 eadem 8 præter piaculum, & ferias.

1 Henricus Stephanus *in Naue*.

2 Io.Bouherius 2 *quot os*.Ald. H Steph. Gruter. Turneb I.Mercer. Guther. 2 *quod os* 3 ita etiam Bouher.Turneb. 2 *ſuſcipiendam* 4 Turneb *Portam* 2 *eſſe* 5 *Cotta*. 2 *contractam*. 6 *Patiſi in mari* 2 *dare* 7 *Vtriq; fuit ſententia nihil hæredem debere*. 2 8 *Propter*. 2

2 Ant.Clar. pag. 569.
2 Ant. Clar. ſylu. in leges Rom. cap. 25. pag. 569.
2 Ant.clar.
2 Ant.Clar. eadē utriq; fuit ſentētia.
2 Ant. Clar. pag. 569.
2 Ant. Clar. ibid.

Ego

Ego, diù rem meditatus, omnibus Antiquiorem Aldi Lectionẽ præſtare exiſtimo; & vnica tantùm adiecta vocula, quam non temerè infarcimus, cùm ex veteribus Libris habeatur, ſuæ integritati vendicamus. Teſtatur Turnebus in nonnullis Codicibus *extra porcam* legi. hinc acutè Guttherius notat *quod vocum affinitas in Cicerone extaret, & τὸ* extrà *Librario cauſam dederit abijciẽdi neceſſarium verbum;* quod nunc reſtituendum puto, alioquin communem, & apertiſſimum contraheremus errorem, à quo non daretur excuſatio: nam ex vulgari lectione illud ſequeretur, familiam puram eſſe, & nihilominus hæredem ad porcam faciendam teneri; quod maximum eſſet abſurdum. Supra enim ex Varrone docuimus, non alia de cauſa porcam ſuccidendam, quàm vt familia purificari poſſet. addo etiam Gellij id confirmantis teſtimonium: *Porca autem præcidanea appellata, quam, piaculi gratia, ante fruges nouas fieri cæptas, immolare Cereri mos eſt, ſi qui familiam funeſtam, aut non purgauerant, aut alteram rem, quam oportuerat, procurauerant.* Viderat hæc Lambinus, ſed, vſurpata ſæpiùs licentia, *citra* de ſuo apponendum curauit, quod & ſi ad ſenſum accommodatè, non ita tamen ad textus inte-

Lib. 4. c. 6.

gri-

gritatem, & puritatem. Quamobrem hunc in modum Ciceronem habuiſſe mihi perſuadeo; *Itaque in eo, qui in Naui necatus, deinde in mari proiectus eſſet, decreuit P. Mutius familiam puram, quot os ſupra terram non extare; extra porcam hæredi eſſet. Contra cenſet habendas triduum ferias, & porco fœmina piaculum pati: Si in mari mortuus eſſet, eadem, præter piaculum, & ferias.*

Explanationem facilè quis non percipiet, niſi quicquid erroris in huius loci interpretatione alij admiſerint, perſtringatur; quod modeſtè, vt decet, enunciabo. Vide Anton. Clar. Sylu. pag. 569.

Primus in errorem incidit Paulus Manutius, qui non *contra*, ſed C. *Cotta* legendum probauit, ratus, τὸ *contra* referri ad Mutiũ; nihil ſibi videri aſſerens, quod proximis ſuperioribus verbis opponi poſſet. Fugit enim ipſum, quomodò P. Mutius in eo, qui in Naui necatus in mare proijcitur, duo diſtinguat. Primum ſi os ſupra terram non extaret: fieri enim poterat, vt totum corpus ponderibus in profundo opprimeretur; vel integrum in Cætus alicuius ventre ſepeliretur; vel vndarum iactatione vagum, continuis aquis innataret. Alterum eſt, ſi os ſupra terram extaret, cadauere ad littus, vt potiſſimùm contingit, delato; vnum alteri hìc opponi, ſi quis

eſt,

eſt, qui non intelligat, nec vnquam Ciceronis capiet verba, vt inferiùs fiet palam. In eadem re non felicior fuit Adrianus Turnebus, qui differentiam ponere Mutium putat inter eum, qui in mari proijcitur, & eum, qui licet in Naui necatus, non eſſet in mare proiectus; quod planè eſt abſurdum; nam primo themati Mutiano alterum, quod opponatur, non eſt, præterquam de eo, qui non in Naui, ſed in mari mortuus eſſet: hæc inuicem ex diametro diſtincta; igitur τὸ *contra* ad proximum prioris thematis membrũ opus eſt referamus: hoc eſt neceſſariò ad illud, *os ſupra terram non extaret*; quod rationis loco producitur.

Secundò culpari merentur Ioſias Mercerus, & Ianus Gruterus; quorum alter in Notis ad Noniũ, alter in ijs, quæ Ciceronis Trobænianæ editioni adiecit, expuncto tam neceſſariò vocabulo *contracta* repoſuerunt: quaſi hæc dictio, tãquàm ex formula, deeſſe non deberet, quòd alibi ea Cicero ſit vſus, & eandem Victorinus antiquus Grammaticus retineat. Etenim, ſtudio inanis eruditionis decepti, non animaduerterũt, vitioſiſsima Tautologia Legem corrumpi: an diuerſum quiſpiam reputabit; *porcam hæredi eſſe contractam*: et *porco fœmina piaculum pati*?

Si

Si quis eſt, qui ita exiſtimet, nec ter immolata Porca ſuum expiabit errorem.

Tertiò in horum numerum itẽ accenſendus erit Turnebus; qui ſequutus fortaſſe fidẽ Cod. Palat. cuius meminit Grutherus, *portam*, vbi *porcam* legebatur, ſubſtituit, *nã*, inquit, *extra portã excipiebatur os; ad quod familia purgabatur; in Vrbe enim non ſepeliebantur:* eò iure ei obijcit Gutherius; *Ad quid enim illud, extra portam, in homine cuius os non eſſet ſupra terram, quod exciperetur? Quiduè familia purgaretur, quæ pura erat ex P. Mutij ſententia?* hoc eo ampliùs malum, quòd in ſua Commelliana impreſſione *extare portam* ſcripſerit, vt ſyntaxeos, ſenſuſque nulla prorſus habita videatur ratio: item illud habet planè commentitium, quòd & qui in mare proiectus, & qui in eo mortuus, ambo ſepulti cenſeantur; inter vtroſq; autem differre dicat, quòd alter à viuis funeratus ſit, alter minimè; cùm non aliud ſepulturæ genus apud Romanos, quàm per ſolam glebæ iniectionem.

Omnium peſſimè notandus Gutherius, qui totam Legis (parcat Vir doctus dicenti verum) inuoluit ſententiam, nec priorem diſtinctionem, & differentiam, de qua meminimus, agnoſcit: & quæ reperitur in omnibus

K Edi-

Editionibus poſt verbum, *pati*, deleta interpunctione, diuerſas, ac oppoſitas clauſulas vno orationis complexu agglutinat, ita ſe ſe explicans: *Differentiam Pontifices conſtituunt inter eum, qui in mari necatus, & in mare proiectus eſt, atque eum, qui in mari mortuus eſt. In primo extra porcã hæredi eſt, hoc eſt porco nõ contrahitur: quia familia pura eſt, nec piaculum debetur. Qui verò in mari mortuus eſt, illius hæres triduum ferias celebrat, & porco fœmina piaculum patitur.* Poſterius dictum omnino falſum: quaſi enim nihili eſſent, quæ annectuntur apud Ciceronem verba; *Eadem præter piaculum, & ferias;* illa nec conſiderat, nec exſcribit Gutherius: quòd ſi retinenda, vt proculdubio ſunt, inuicem pugnabunt ſatis, nec ſimul ſtare poſſunt, *præter ferias*, & *habendas triduum ferias*: item *præter piaculum*, & *porco fœmina piaculum pati*. quod vel lippis clariſſimum fieret.

Senſum ergo Mutianæ legis ita explico; In eo, qui in Naui necatus, ideſt quoquomodò mortuus, (huius vocis hanc eſſe vim, & ſupra admonuimus, & ſanctionis ratio poſtulat) deinde in mare proiectus eſt; quòd os ſupra terrã nõ extaret, ſcilicet ex eo, quòd eſt

os

os ſupra terrãm nõ extare; Familiã eſſe purã. Cæterùm ipſo funere iã pollutã hic non negatur: tamen, cùm os, quòd humari debeat, ſupra terrã non extet, modò cætera ritè procurentur, nihil ob non (vt ſic dicam) humationẽ, hæredem peccare ſtatuitur; & proinde extra porcam eſſe; hoc eſt porco fœmina piaculum pati non debere. *Contra*, nimirum *ſi os ſupra terram extaret*; cùm illud in ſepulchro adiecta gleba condi oporteat, luitioni ſit locus, & proinde *habẽdas triduum ferias*, & porco fœmina hæredẽ piaculũ pati cõſequitur.. Si in mari mortuus eſſet, eadẽ obſeruari præcipitur; præter tamen piaculum, & ferias. Videlicet, vt ſingula ſingulis reſpondeant, quòd os ſupra terram non extaret, ex eadem vel in priori caſu adducta ratione, familiam puram eſſe, nec aliquid hæredem luere. Si verò os ſupra terram extaret, licet ex hoc funeſta remaneret Familia, haud tamen habendas triduum ferias; nec piaculũ pati neceſse erat. Finis enim funeſtæ Familiæ, ſiue farre, & verbenis, ſiue veruecibus; ſiue alio quouis ſacrificij genere (dubia Ciceronis verba non interpretor) olim procuratus. Differunt ergo quę in porca cõtracta iura ſunt; nam ad hoc ſolùm P. Mutij ſententia à Cicerone memoratur; in poſte-

riori enim exemplo ex qualitate necis factũ eſt, vt ferias, & immolationes, quæ alioquin exigi religioſè debuiſſent, Pontifices remitterent.

Sed quænam huius diſcriminis ratio potuit eſſe, niſi de Animarum in aquis interitu hauſtus error? Inferiæ enim ex lege ibi nullæ ſunt, vbi nuſquam ſunt manes. quid opus eſt lacrymis ei, qui deſijt eſſe? quid piaculo? nihil enim expiationis deſiderat, quod pollui non poteſt, nec polluere; quia non eſt. Clar. fol. 569

Ex hac falſa, & inani æſtimatione mors hæc præ cæteris ſemper horridior habita; cùm tamen nullum doloris ſenſum inferat, nihil truculentum præſeferat, & quidquid in ea lethale illud ſit; πνιγμῷ τῶν ἀρτηρείων ἀποκλειομένων μὴ δέχεσθαι τὸ ἐκτὸς πνεῦμα. *ſuffocatis arterijs præcludi, ne ſpiritus extrinſicè hauriri poſſit*: quòd cùm Homini naturaliter accidat, & huius euentus plures cauſas Medici numerent, certum eſt minùs ægrè vitam finiri. Si autem per vim, citiùs fit; & mitiùs per ſubmerſionem, quàm laqueo, aut alio quouis modo: & cùm non aliter id contingat, tamen è Latino quandoq; pectore, cuius maſculam illam fuiſſe vocem ſcimus;

Me quoq; conantem gladio finire labores;

hæc

hæc horroris plena prolata ſunt Carmina; Ouid.lib. 2. de Ponto eleg. ad Græcinum.

Nō letū timeo, genus eſt miſerabile lethi,
Demite naufragiū, mors mihi munus erit.

Porrò iſtud, quod indicamus, animo cùm talia ſcriberet, concepiſſe Ouidium credendum eſt: quòd aliter deinde antiquus Poeta dictum voluit;

Qui mauult pro parte mori, nec cogere Fata, In Catalect. lib. 1. c. de Nauigat.
Mollia præcipiti rumpere fila manu,
Hactenus iratum Mare nouerit.

Sed paſſim quàm multa huiusmodi apud Auctores! & fruſtra agerem, ſi huc ſingula transferenda cogitarem. Haud tamen videbitur alienum, ſi in Miſeni funere aliquantulum immoremur, & an Romanorum religionem Maro cuſtodiuerit, & in quo ab ea receſſerit, agnoſcamus: nec enim Mutianis decretis obligari Poetam aio, nec Romanos ritus ſanctè cuſtodire debuiſſe, cùm ea fingat, quæ longè Romanorum ætatem præceſſerint; &, ad vtilitatis documenta reſpiciens, non tàm quod moribus receptum, quàm, quid faciendum, ſentiendūq; ſit, alios edocere velit. Virgilius.

Aquis merſus Miſenus interierat; quippè æmulus Triton

Inter ſaxa Virū ſpumoſa immerſerat vnda.

Eius cadauer ſupra terram iacens, & nec abs re *ſicco in littore* ab Aenea viſum, funeſtare proinde eius Claſſem Poeta inquit:

Præterea iacet exanimũ tibi corpus amici,
(Heu neſcis) totãq; inceſtat funere Claſsẽ.

In cuius expiationem præcipuum illud eſt, quod Chorineus

-----ter ſocios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis Oliuæ;
Luſtrauitquè Viros.

Sola enim glebæ iniectione non purgabatur Familia; licet ſi os minimè conditum fuiſſet, funeſta, & polluta eſſe non deſineret.

Porrò antea à nobis admonitum fuit, circa eos, qui in aqua pereunt, Virgilium ab Homero deſciuiſſe, & nihil ad Animorum immortalitatẽ genus mortis officere, vt ſapienter exiſtimauit, ſic vulgatum errorem ab hominum mente euellere optimi Poetæ munus arbitratus, hoc potiſſimùm in loco indicauit, cùm inferias Miſeni manibus, tàm religioſa ſuperſtitione, tàm exquiſitis cœremonijs ſolutas fingat. Ne tamen in receptas Sacrorũ Leges vel leuiter peccaret, aut quoquomodò vulgi religionem euertere videretur, Sybillæ iuſſum, prudenti conſilio, adhibuit. ſic illa Aeneam alloquitur;

Sedi-

Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulchro,
Duc nigras pecudes: ea prima piacula ſunto.

Verùm exequias ſolemniter, & ad Romanorum conſuetudinem confirmatas exactè deſcribit: nigrarum verò pecudum immolationem, nec expreſſim, (ſi quæ deinceps Poeta narrat obſeruare libet,) immò nec ſubobſcurè proſequitur; fortaſſe nimis cautè, vt mihi fit veriſimile. Cæterùm Naufragis, & in littus eiectis ſepultura nullis legibus derogata: cogit enim pietas, qua erga humanum genus nos ipſi homines tenemur, defuncti corpus terræ reddere, & quaſi operimento Matris obducere; ac viuentes, quòd ſolùm remanet, ſupremum mortuis pręſtare officiũ. Sed quin mitiùs hoc eiectorũ cadaueribus fieret, an aliquid obſtiterit, dicendum erit, &, velut ex iam dictis, auerſione quadam in animis concepta, à tàm pij muneris exhibitione homines reuocauerit. Certè ex *Syneſio* noſtro diſcimus, vrgente tempeſtate, ac permiſſa ludibrio ventorum rate, vectores aurũ, vel quidquid pretioſum penes ipſos erat, annectere corpori conſueuiſſe; vt, ſi turbo funeſtus, vel exitioſus Aquilo ad latentem ſcopulum Nauem egiſſet, ſicque ob-

ruentur, eiecta ad littus cadauera ſepulchrale pretium ferrent, eiuſquè moris hæc ab eo ratio ſubijcitur; φέρειν δεῖ τιμὴν ἐντάφιον τὸν ἐκ ναυαγίου νεκρὸν. ὁ γὰρ περιτυχὼν, καὶ κερδάνας, νόμους Ἀδραστείας αἰδεῖται μὴ οὐχὶ μικρόν τι μέρος ἀποδάσασθαι τῷ χαρισαμένῳ τὸ πολλαπλάσιον. *Sepulturæ pretium conferri à naufragis conuenit: qui enim in eos inciderit, & id lucrifecerit, Adraſtiæ leges (quicunque in illud ſcilicèt Cadauer incidit, lucrumque fecit) verebitur; ne non exiguam ei partem aſpergat, qui tanto plura largitus fuerit.* Leges Adraſtiæ reuerebitur ni non paruam aliquam vim diuidat cum eo, qui decuplum ipſi largitus eſt. Auctor Hiſtoriæ Apollonij Tyrij expreſſit antiquum morem: *Perfecto loculo, regalibus ornamentis exornat Puellam; & in loculo poſuit; & viginti ſeſtertia auri ad caput eius poſuit: & iuſsit loculũ mitti in mare. Tunc vidit loculum effuſis fluctibus iacentem ad oram maris*. *Et vidit ſubtus caput eius pecuniam poſitam, & ſub pecunia chartulam ſcriptam, & ait, Perquiramus quid deſiderat, aut mandat dolor: quod cùm reſignaſſet, inuenit titulum ſcriptum; Quicumque hunc loculum inueneris, habes viginti ſeſtertia auri: vt decem habeas, decem funeri impendas, &c.*

Se-

Sepulturam igitur, quam Naufragi pietate meruerant, etiam pretio ſibi proſpicientes redimebant; nam pium cùm eſſet, haud tamen neceſſarium exiſtimabatur. Hinc, apud Venuſinum Poetam, rogat Architas tot precibus, & obteſtationibus ſuũ corpus, eiectum naufragio, ſepeliri: Lib.1.Od.18

At tu, Nauta, vagæ ne parce malignus
arenæ
Oſsibus, & capiti inhumato
Particulam dare.

Putauit Clarus iſtud exigi, non quòd debeatur ob animam mortui, ſed ob pollutionem viuentium: vnde ſequatur, quoquo loco quis corpus inuenerit, eo pollui, & impiũ eſſe, niſi terram inijciat mortuo; nec vllis expiari victimis; ita vt vindicta diuina ſequatur non ſolùm eum, ſed etiam liberos eius. Quia hæc pollutio à ſciente contracta eſt: quòd ſi ignorauerit, idem eſt, quia iuris diuini, & humani communis ratio non debuit ignorari. Horatius ibidem; Ant. Clar. Syl com. in l. cap. 15 pag. 571.

Negligis immeritis nocituram
Poſtmodò te natis fraudem committere,
fors &
Debita iura, vicesq; ſuperbæ
Te maneant ipſum, precibus non linquar
inultis,

Teque piacula nulla reſoluent:
Quamquàm feſtinas, (non eſt mora longa) licebit
Iniecto ter puluere curras.

Sed quod ad Horatij ſenſũ, Claro nõ aſſentior; ſiquidem hoc pietatis officiũ ob ipſam animam mortui præſtandum, procul à vulgi opinione, indicatum voluit caſtiſſima vbertate felix, & prudentiſſimus Poeta; cùm non ex ſui, ſed eiuſdem Architæ perſona nautas alloquatur. Tam magni Viri, & Philoſophi, cui mors huiuſmodi, vt Ciceronis verba vſurpem, in fortuna quadam fuit, non in pœna putanda; ipſi manes ſuperſtites deſtitutum Cadauer humari expoſcunt, & id facere negligentibus diras imprecantur. De Archita aliqua colligere, ſparſaquè omnia in vnum corpus editioni committere, ſi Deus annuet, cogitamus. vbi ad hanc Odem pluſcula, nec fortaſſe indigna.

Sepulchris titulíſq;, Naufragorum memoriæ olim conſultum, quę extant Epigrammata abundè teſtantur; & apud Romanos id etiã moribus receptum. Notatũ alijs animaduerto, in quibuſdam ſepulchris exculpta eſſe ædificia, partim Ianuis apertis, quibus dicunt animæ æternitatem ſignificari; partim clauſis, quibus interitus eius vnà

cum

cum corpore notatur : & plura huiuſmodi peculiaribus Romæ locis deſignata reperiri . Quod ad Naufragos attinet, inſignis eſt Lapis inter multos,qui in Cęſiorum Palatio aſſeruantur . Sæpè hunc,animi cauſa,dum Vaticanum incolerem, ſum contemplatus ; & cùm eius Imagine,& Inſcriptione noſtra Diſſertatio cumulari, & exornari poſtulet, quin hìc vtraſquè apponam, temperare non poſſum . Eas porrò verſa pagella commonſtrat .



ET FORMA SINGVLARI
ET MORIBVS PIISSIMIS
DOCTRINAQVE SVPER
LEGITIMAM SEXVS SVI
ÆTATEM PRÆSTANTIS-
SIMÆ. QVÆ VIXIT
ANNIS XI. MENS. IIII.
D. XX.


ET INCOMPARABILIS
ERGA MARITVM AD
FECTVS SANCTITATISQ
ET EXIMIÆ ERGA
LIBEROS PIETATIS. QVÆ
VIXIT ANNIS XXXVIIII.
MENS IIII. D. VII.
EX IS MECVM ANN.

In dextro eiuſdem Cippi latere.

Iam datus eſt finis vitæ, iam pauſſa malorum
Vobis; quas habet hoc Gnatã Matrẽq; ſepulchrũ,

Lito-

Litore Phocaico Pelagi vi exanimatas; Inſcrip. Grut. pag. 090.
Illic vnde Tagus, & nobile flumen Hiberus
Vorsũ ortus, vorsũ occaſus fluit alter, & alter,
Stagna ſub Oceani Tagus, & Tyrrhenica Hiberus:
Sic etenim duxere ollim primordla Parcæ.



Et neuere ſuper vobis vitalia fila,
Cùm primùm Lucina daret lucẽq; animãq;
Vt vitæ diuerſa dies foret, vnaq; leti:
Nobis porrò alia eſt trino de nemine fati
Dicta dies leti, quam propagare ſuaptè
Viſum ollis tacito arbitrio cum lege perenni,
Siſti quæ cunctos iubet ad vadimonia mortis.

IN

In Theſauro Inſcriptionũ adnotatur, quod in hac noſtra videtur, ſtantis Aſelli, aut alterius quadrupedis ſimulacrũ eſſe: quod nos dũ accuratiſſimè delineatum damus, id alterum ab Aſello, immò longè alterum eſſe, cuiq; & Imaginem & ipſum omnium oculis expoſitum Lapidem intuenti fit manifeſtũ. Fateor, parũ videri notum Animal, & Artificis in ſcalpendo imperitiam manifeſtè deprehendi: viſum tamen, vtcumquè illud ſit, ad ſylueſtris Capræ genus eſſe referendum. Huic etiam haud diſſimilem, cornibus etiã mutilam repræſentauit Aldrouandus. Qùod ſi verum eſſe concedatur, qua de cauſa poſt ſeptem priores verſus media in area fuerit inſculptum (haud quamquam temerè factũ) & quid ſibi velit, nemo non expoſcet: & pretium operæ eſſet ſcire. Igitur quid in ſimilibus eruditi Viri præſtiterint, videamus: facilè ſiquidem ex eorum doctrina boni aliquid in rem noſtram deriuabitur.

De Quadrup. beſul. lib. 1. De Capra Moſch. c. 19. pag. 744.

In Homeri tumulo haud diſſimile Animal inſculptum; Capella videlicet candida; & de ea Verſiculi Varronis, quos Poetæ imagini appoſuit:

Capella Homeri candida hoc tumulum indicat,
Quòd ariete mortuo faciunt ſacra.

Scul-

Sculpturam, & Carmina, ad Patriam Homero vindicandam, fuiſſe colligitur ex Gellio. Magnum certè ænigma, quod poſt Chriſtophorum Boethiũ, Franciſcus Luiſinus, & Hieronymus Magius peculiaribus lucubrationibus explicandum ſuſceperunt: & conſultis aſtris, imò cœlum terræ miſcentes nihil ex Boethij quiſquilijs, prætérquàm tenebras, ad nos attulerunt. Horum ineptiam damnat meritò Salmaſius, & ſuo de ingenio facem prætulit ſanè luculentam, cùm ex veſtigijs (vt ipſe inquit) veteris Libri, & pro, *Ariete, hac Ieta* ſubſtituens, Varronis Diſtichon emendauerit: vt idem olim præſtiterat Scaliger in Catalectis. Sunt nihilominùs in quibus adhuc hæreo, nec fortaſſe abſquè ratione. Tumulum indicabat Capella inſculpta, non ea, qua parentabatur; nam cùm continuò ſacra non fierent, ſemper tamen ſculptura ſuum, ad quòd fuerat deſignata, præbebat indicium: nec ex Varrone conſtat, inter ſepulchralia ſigna ipſos fuiſſe Ietentes, qui Capram immolarent, expreſſos. Et Capræ immolatio nõ id habebat ſpeciale, vt magis Homeri manibus, quàm cuiquam alij ex Heroibus conueniret. Nec Varronis Epigramma à Gellio adſcriptum, ad aſtruendum Ariſtotelis teſtimonium, qui Lib. 3. c. 11.

ex

ex inſula Io Homerũ natum tradiderat; ſed vt diſſidentium tantummodò de hac re auctoritates in vnum colligere niteretur. Quãobrem, cùm recepta lectio ab his ſeiuncta difficultatibus, facilè ex ſe ſubſtineri poſſit, ab ea non recedendum. Senſus enim Varronis eſt, Ariete mortuo fieri Homero ſacra: & tamen Capella candida eius tumulum indicat. Sed quid hoc ad Patriam Poetæ denotãdam? inquies. Liceat ingenij periculum facere; ſitquè ſatis, ſi à me non adeò inepta, & propudioſa effutiantur. Aenigma de Homeri Patria in Capella candida eſt: qui Græcè interpretabitur, illud percipiet. Niuis albedinem Latini candidum aiunt; vt niueus etiam pro candido vſurpatur: αἶγα χιονικὴν ſi dixeris; &, vt fieri in Inſcriptionibus aſſolet, ſi punctatim per capitales litteras ſcribas, ΑΙΓ. ΧΙ. an non Homeri Patria prodibit, ideſt, αἰγεία videlicet Χίος, quæ Aegeo mari alluitur, Chius? αἰγεῖον, vel αἰγαῖον πέλαγος cur dictum ſit, docet Plinius, inquiẽs, *Aegæo* Hiſt. Nat. lib. 4. c. 11 *mari nomen dedit ſcopulus, inter Tenedum, & Chium, veriùs quàm Inſula, Aex nomine, à ſpecie Capræ, quæ à Græcis ita appellatur, repentè in medio mari exiliens.* Solinus hoc Saxum Antandrum nominat, quod procul viſentibus Capræ ſimile credi ait. Feſtus ſic inquit,

inquit, *quòd crebræ in eo ſint Inſulæ, quæ procul aſpicientibus Caprarũ imaginẽ referant; alij quòd αἶγας, ideſt Capras magnos fluctus vocari, & in primis ab Homero, conſtet: & quia Mare hoc tempeſtuoſum, & fluctibus, ac nauigandi periculo ſit terribile, Aegeum propterea denominatum*. Quidquid ſit, hoc veriſſimum, quod idem Varro habet, *A Capris nominauerunt Aegeum pelagus.* Chius autem Inſula vt, ex Metrodoro, & Cleobulo Stephanus ſcriptum reliquit, ἀπὸ τῆς χιόνος à niue ſiuè, quòd idem eſt, ab eiuſdem nominis Nympha appellatur. Varro de Re Ruſt. lib. 2.

Habet etiam laudatum candorem Marmor, quod Chium vocatur. Plures item hoc nomine Vrbes; & quãuis Stephanus, Cariæ Ciuitatem ab Inſula diſtinguens, fuerit allucinatus; tamen & alias alijs Regionibus rectè adiudicat. Capella igitur candida, ſiue ex Chio marmore in tumulo Homeri poſita, ſiue niueo candore nitida, Chium referebat, ſuiquè nominis notione, ac ipſa imagine, vt Aegeum mare, ſic non aliã, quàm quæ in eo pelago inſignis erat, Inſulam denotabat. Chius igitur Homerus; & in Varronis Epigrammate res olim contentioſè pugnata, neceſſariò obuelamento prudentiſſimè deſignatur. An non ego omnium confidentiſſi-

mus ſum, hanc paleſtram aggredi auſus? qui ſciam in ea ὀλυμπονίκην deſudaſſe Leonem Allatium, Virum emeritum, cuius ſtudijs vetus, recenſq; Græcia plurimum debet, imò quotquot vbique gentium bonas litteras amant. Ex orbita igitur in viam redeamus.

Si de Sculptura Cæſiani lapidis conſuleremus vel Magium, vel Luiſinum, & huius farinæ homines, an dubitamus non itidem ad Aſtrologorum cælum illicò illos aduolaturos, quibus hinc latiſſimus diſſerẽdi aperiretur campus? & hac in re ignoſcere illis oporteret, atq; habenas remittere, cùm inſertam Animalis imaginem, inter ea Carmina videamus, quæ fata genethliaca loquũtur, & horoſcoporum obſeruationes inculcant. Ego hæc miſſa facienda ſtatuo, & cur huiuſmodi Animal inſculptum, ſymbolicè interpretor, Plutarchum imitatus, qui in Iſocratis ſepulchro Arietem, in quo eſſet Syren, eadẽ ratione poſitum tradidit. & ea non incongrua ſe ſe offert. Id genus Animalia prærup-tos incolunt montes; hinc apud *V*irgilium:

Plutarch. in 10. Rhet. Vitis.

Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice Capræ
Decurrere iugis.

Admonemur igitur, Rupicaprarum in morem, ſatius eſſe vel colles tranſilire, & per ardua montium laborioſum iter inſtituere,

quàm

quàm pelago vitam committere;iuxta illud Antiphanis :

Τῶν γὰρ πλεόντων ζητεῖν ἑκατὸν στάδια.
ἐλθεῖν που δὴ κρεῖττον, ἢ πλεῦσαι πλέθρον
πλείστην θάλατταν χοινίων πολουμένων.

Quorum ſenſus videtur ; *potius,& tutius eſſe vel centum ſtadijs per terram aliquò peruenire,quò nauigare liceret etiā vno iugero.*

Sed non tanti eſſe hoc monitum , cùm mecum anceps examinarem,vt in ipſo Epigrammatis meditullio imago inſculpi debuiſſet,& Carminum ſeries interrumpi; in eam,& proculdubio veriorem,ſententiam deueni,vt huius Animalis figuratione , antiquus mos fuerit expreſſus, quo infortunia calamitateſque auertebantur. Notat ex Suida, & alijs Auctoribus Adagiorum Scriptor, cõſueuiſſe veteres ἐπὶ τὰς κατάρας κατ' αἶγας ἀγρίας τρέπειν τὰ κακὰ in execrationibus mala vertere cupientes , in Capras ſylueſtres imprecari . Nimirum,inquiens,ſi quis mali quidpiam dici,vel nominari audiuiſſet, ſiue contra ſe,ſiue ſimpliciter , mox deprecandi gratia ſubijcebatur; κατ' αἶγας ἀγρίας; In ſylueſtres Capras.Idem & apud nos viget, cùm in ſimilibus vſurpari ſæpiùs audiamus, *Venga al Cane; a' Cani ſia detto.* Suid. Cent. 8. 44. Adag. Scor.

Ecquis ambiget, non id voluiſſe Inſcrip-

tionis Auctorem, cùm malorum peſſimum, hoc eſt naufragio perire,& Parcarum de hac horribili calamitate decretum enunciaſſet, ſtatimq;, quòd hominem probum, & benè moratū decebat, in Capras ſylueſtres ſubijcere debuiſſet, id non verbis, ſed ſimulacro expreſſiſſe? tum quia turbare numeris adſtrictam, & breuitatis laude commendandam Orationem non liceret; tùm etiā, vt non tam ex ſua perſona, quàm cuiuscumq; legentis, audientiſq;, pietatis officio idem exprimere debentis, imitatione, videretur appoſitum.

De Syneſij Opinione Diſceptatio. Cap. IX.

Mens tandem Synesij de hac re penitiùs inueſtigatur. Syneſium Philoſophia, alijſque doctrinis ea in admiratione apud Chriſtianos fuiſſe, vt, quamuis reſurrectionis dogma non admitteret, baptiſmo initiatus, Epiſcopus renunciatus ſit, hocq; teſtimonio Euagrij, Photij, & ipſiusmet Synesij (quidquid alij in defenſionē tāti Viri in mediū afferant,) demonſtratur. Ille in ſententiam Homericam, quam tantoperè adornat, plus æquo pronior inclinat; quam tamen ipſe debuit, quemadmodum etiam reliqua offendicula, in bonam frugem cōuerſus, ex Operibus ſuis expungere. Vel ſaltem ab

illis

illis, quibus id incumbit. ſingulis in locis, ſicuti in non diſſimilibus Auctoribus factum eſt, perpetua nota inuri.

NOl o vlteriùs progredi, eſt enim operæ pretium, arrepta aliò diuertendi opportunitate, Diſſertationis curſum denuò interrumpere. Sed quid interrũpere aio? cùm fortaſſe nihil magis res ipſa poſtulet, quàm quod huc inſerendum cogito; vt ſcilicet inueſtigetur, quæ fuerit Syneſio mens, cum ea, quæ ſupra attulimus, tam penſiculatè docuerit: de qua vnà mecũ ſentire viſus eſt Gabriel Naudeus in Syntagmate de Studio militari, quod propediem publici iuris factum iri lætor ſummoperè, ob ſingularem huius Viri candorem, & eruditionem. Mira ſunt, quæ de eo Auctore habentur; & niſi clarorum Virorum litteris conteſtata, fidem apud nos mereri non poſſent. Aiunt enim, Syneſium, pridem vnum ex Gentilium numero, cùm in cæteris doctrinis apprimè fuiſſe eruditum, tum in Philoſophia ſic excelluiſſe, vt Chriſtianis hominibus admirationi eſſet: πείθουσι δ' οὖν (dicam Euagrij verbis) αὐτὸν τῆς σωτηριώδους παλιγγενεσίας ἀξιωθῆναι, καὶ τὸν ζυγὸν τῆς ἱερωσύνης ὑπελθεῖν, οὔπω τὸν λόγον τῆς ἀναστάσεως παραδεχόμενον, οὐδὲ δοξά- Euagr. Schol. lib. 1. cap. 15.

ζῆν ἐθέλοντα. *itaque perſuadent illi, vt & ſalutare regenerationis myſterium reciperet, & Epiſcopatus iugo colla ſubmitteret; quamuis reſurrectionis dogma nondum admitteret, neque profiteri vellet.* Et ſine iſta fide, & confeſſione, ne dum baptiſmo initiatum, ſed Epiſcopum renunciatum fuiſſe: & antequàm iſta ſuſciperet, præſcriptis verbis proteſtationis leges, quibus ſibi cautum volebat, emiſit; vt in eius Epiſtolis videri

Syneſ. epiſt. 105.

poteſt. & præter alias: *ἀμέλει τὴν ψυχὴν οὐκ ἀξιώσω ποτὲ σώματος ὑστερογενῆ νομίζειν. τὸν κόσμον οὐ φήσω, καὶ τ' ἄλλα μέρη συνδιαφθείρεσθαι. τὴν καθωμιλημένην ἀνάστασιν ἱερόν τι, καὶ ἀπόρρητον ἥγημαι, καὶ πολλοῦ δέω ταῖς τοῦ πλήθους ὑπολήψεσιν ὁμολογῆσαι. Nunquam profectò*, inquit, *mihi perſuaſero animum origine eſſe poſteriorem corpore. Mundum, ac cæteras eius partes vnà interire nunquàm dixero. Tritam illam, ac decantatam reſurrectionem, ſacrum quidpiam atque arcanum arbitror, longèque abſum à vulgi comprobandis opinionibus.* & deinceps;

Syneſ. ibid.

Hæc ſi mihi Epiſcopatus noſtri iura permittant, poſſum hanc dignitatem admittere. Græcè, *εἰ ταῦτα καὶ οἱ τῆς καθ' ἡμᾶς ἱερωσύνης συγχωροῦσιν ἐμοὶ νόμοι δυναίμην, ἂν ἱερᾶσθαι.* Scio omnia iſta noſtros Scriptores beni-

gnè

gnè interpretari ; ſunt qui fictè ab eo præ- *S.* Emonerius Diſput.
tenta dicant, deuitandi Epiſcopatus gratia ; pro Veritate
& hanc ob rem locutionem vſurpari, quam contra Berneſium c. 12
ad ſenſum mentis reſtrictam vocant : quod ſanè commentitium, & incaſſum ab Emonerio, alioquin eleganti Viro, per ſophiſmatum nugas recoctum. Sunt qui aſſerant, ideò factum, quòd qui illum promouerant, vt inquit Euagrius, οἱ δ' εὐβόλως εὖ μάλα στοχασάμενοι ὡς ταῖς ἄλλαις τἀνδρὸς ἀρεταῖς ἕψεται, καὶ ταῦτα τῆς θείας χάριτος μηδὲν ἐλλιπὲς ἔχειν ἀνεχομένης; Euagr. ibid.
prudentiſsimè conijcerent, ad reliquas Viri virtutes & hæc propediem acceſſura: quandoquidem diuina gratia nihil imperfectum habere ſe patitur. Euagrio in hac re conſenſit Photius. Phot. in Syneſ.
Quamobrem, cùm tantum inanis Philoſophiæ ſtudio tribuerit Syneſius, vt tam prauas inde hauſtas opiniones mordicùs retinere profiteretur ; facili acceſſione & in iſtam Homeri ſententiam, quam tantoperè adornauit, pedibus ire potuit, cùm nec Scholaſticis ſophiſmatibus ſit deſtituta, & ab ea ſe commotum, vel obteſtato numine, quòd Philoſophia veneratur, affirmauerit; Et quid ambigendum, ſi manifeſtè id affirmet? nonnè eius ſunt ipſiſſima verba? τούτοις (loquitur de Militibus, qui *Syneſ.* epiſt. 4
necem ſibi ipſis conſciſcere parabant, ante-

quàm fluctibus obruerentur) αὐτοφυεῖς Ὁμηρίδας ἐνόμιζον. *Hos ego*, habet vulgata interpretatio, *ſpontaneos, ac natiuos Homeri ſectatores arbitrabar*. Ego explico, vt non tam Poetæ ſtudio, quàm natura ipſa dogma hoc Homericum retinerent. Et illorum ſententiæ ſe adhærere, inquit; καὶ ἐθέμην τῷ δόγματι. an clariùs? & paulò poſt, cuiuſdam moleſtæ rei recordatione turbatus animo, huiuſmodi mortem in aquis, vel ex eo, quòd ſui exitiũ foret, expetendam putat; quòd nimirum omnifariam interiret, & nihil interioris ſenſus poſt obitum ſupereſſet. ἐγὼ δὲ παρακαθήμενος, τὸ παλαμναῖον βαλάντιον, τὴν παρακαταθήκην τοῦ ξένου ἔκλαιον. ὡς οἶδεν ὁ ξένιος οὐκ εἰ τεθνηξοίμην, ἀλλ' εἰ ὁ θρᾷξ ἀποστερήσοιτο, τῶν χρημάτων, ἕνεκεν, ὧν καὶ ἀποθανὼν ἂν ᾐσχυνόμην. ἐνταῦθα μέν γε τὸ ἐξαπολωλέναι κέρδος ἦν, καὶ συναπολωλέναι, καὶ ἀποδρᾶσαι τὴν αἴσθησιν. Sed, an iſta cohæreant cum Platonicæ Philoſophiæ dogmatibus, quibus ſuperſtitiosè addictum Syneſium ſcimus, non hìc exponendi locus. tactum alibi, & Ariſtippæis verbis abundè demonſtratum. Potuit Syneſius Theophili Alexandrinæ Eccleſiæ Præſulis, aliorumque pietate, & doctrina præſtantium Virorũ admonitu reſipiſcere. Plura ſunt eius rei certiſſima documenta. Eſto etiam quòd

ait

ait Petauius, multò ſcilicet veroſimilius, hoc illum initio, ita vt in animo habebat, aſſeueraſſe, ac paulò poſt ab Theophilo, alijſquè doctis Viris perſuaſum, veritati ceſſiſſe, antequàm Epiſcopus fuerit. Nihil enim eſt quòd libenter magis amplecti fatear, quàm quod tanti Scriptoris æſtimationi facere intelligam. Sed tamen apud Euagrium legimus, has, quas verſamus, Epiſtolas poſt eius Epiſcopatum ſcriptas: omnes enim, quotquot ſuperſunt, æqualem elegantiæ, & eruditionis laudem merentur: nec aliam verba illa interpretationem ſuſcipient; οἷος γὰρ, καὶ ὅσος γέγονε, τεκμηριοῦσι μὲν αἱ κομψῶς αὐτῷ, καὶ λογίως μετὰ τὴν ἱερωσύνην πεποιημέναι ἐπιστολαί. inter quas, ſi hęc, quę nobis fuit differendi argumentum, reciperetur, eſſet de eius laudibus non parum fortaſſe detractum.

Dion. Petau. in Schol. ad *Syneſ.*

Euag. ibid.

Sed quidquid ſit, illud Syneſio me obijcere poſſe iure ſtatuo, quòd Chriſtianis ſacris initiatus, & in bonam mentem conuerſus, non ea retractauerit in ſuis Operibus quæ offendiculo orthodoxis Viris eſſe poſſent: &, vt pleraquè omittam, quod ſupra protulit de Reſurrectionis myſterio, emolliri interpretatione fruſtra tentatum; cùm latenti quodam ictu Eccleſiaſticam verberet Hierarchiam; vt omninò ab Aucto-

Syneſ. epiſt. 105.

re

re erat emendandum, it a nunc pręcipuè expungendum iudicarem. Rectè equidem cum hoc Auctore ageretur, ſi ſaltem, quæ ante Epiſcopatum ſcripſit, a b cęteris eius Operibus diſtincta, pro Ethnicis haberentur: vel, quod in Lactantio, Origine, & alijs Auctoribus periti Theologi præſtiterunt, perpetuæ notæ ſingulis in locis inurerentur.

Cleombrotus, ſtudio Immortalitatis, mortem in Aquis eligit. Cap. X.

Cleombrotus ex Philoſophorũ grege timorẽ iſtum vanum excuſſit, qui, lecto Platonis de Anima Dialogo, ſe præcipitẽ in mare dedit. Hiſtoria tamen hæc de Cleombroto, cùm variè narratur, exquiſitiùs examinatur; & concluditur in mari vitam finijſſe, ætate iam prouectum: quem cùm videret Ariſtippus, nimiùm ad mortem ſibi conſciſcendam intentum, Protreptico ad eum conſcripto, in bonam mentem reducere conatur, ex mox certiſsima morte adfutura, neceſsitate fatali; Deorum decretis, exemplo Socratis, genere mortis, natura animi, communi omnium opinione, damno conſecuturo. Cleombrotus tamen in ſuo præcipitio, immortalitatis animorum ſingulare exhibuit teſtimonium, non contemnendo præconio à D. Hieronymo laudatus.

Syne-

SYneſio, quam hauſerat ex Gentilium Philoſophia, dicam ne opinio, an deceptio? vanum quendam timorem incuſſerat, ne mors in aquis ipſius animæ eſſet interitus. Nunc videamus, an ex eodem Philoſophorum grege reperiatur aliquis, qui, vel ob ipſam Philoſophiam, metum iſtum excuſſerit; & offert ſe ſe Cleombrotus ex Ambracia. Hunc aiunt, lecto Platonis libro de Anima, vt qui ea lectione perſuaſus fuerat animam noſtram, non niſi corporeis ſolutis vinculis, veram ſapientiam aſſequi poſſe; vt fato fungeretur, ſe præcipitem in mare dediſſe. Sed an res ita ſe habeat, antequam cauſas, fineſq; examinemus, cùm fortaſſe in dubium verti poſſit, definiendum videtur. Enimuerò illum ex alto muro, non autem in Mare, ſe ſe deieciſſe, inquit Callimachus: Callim. epigr. 28.

Εἴπας, ἥλιε χαῖρε Κλεόμβροτος ὠμβρακιώτης
Ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἀΐδην.
Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακὸν, ἀλλὰ Πλάτωνος
Ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.

Sunt & plerique Scriptores, qui huius Cleombroti mortem memorant, nec tamen apud eos aliqua maris fit mentio. Summus inter Græcos Theologus Nazianzenus, S. Greg. Nazianz. Ora. 1 in Iulian. *Cleombroti*, inquit, *Ambraciotæ præcipitium* *Di-*

Diſputationis de Anima lectione permoti.
Nonn. in expoſit. Hiſt. Nec etiam Nõnus, Græcus Auctor, in expoſitione huius Hiſtoriæ apud Gregorium meminit.
S. Aug de Ciuit. Dei lib. 1. c. 22. Sanctus Auguſtinus; *Ille potiùs Cleombrotus in hac animi magnitudine reperietur, quem ferunt, lecto Platonis Libro, vbi de Immortalitate Animi diſputauit, ſe præcipitem dediſſe de muro*.
Lactan. de Falſ. Sapien. lib. 3. c. 18. Lactantius; *Quid Ambraciotes ille, qui, cùm eundem Librum perlegiſſet, præcipitem ſe dedit, nullam aliam ob cauſam, niſi quòd Platoni credidit?*

Sed pluribus non eſt opus teſtimonijs; fruſtra enim in his congerendis eſſem; cùm omnibus antiquitate præferendus vnus ſit
Cic. Tuſc. lib. 1. Cicero, qui diſertè illum in mari vitam finiſſe teſtatur, dum inquit; *Callimachi quidẽ Epigramma in Ambraciotã Cleombrotũ eſt, quem ait, quum nihil ei accidiſſet aduerſi, è muro ſe in mare abieciſſe, lecto Platonis Libro*. Sed inquies; at Callimachus de Mari: μηδέ χεν. Verè nõ minùs, quàm acutè reſpõdet poſterior Epigrammatum Græcorum Latinus
Vincen. Obſop. in Floꝛileg. Epigr. Scholiaſtes; *Porrò ex verbis Ciceronis ſatis conſtat, pro* εἰς ἀΐδην, *legendum eſſe*, εἰς ἅλαδε *in mare*, fortaſſe etiam ſcriptum fuit εἰς τὸ ὕδωρ: certè elegantius videtur. Nec enim ambigendum, aliter, quàm habent vulgata Callimachi exemplaria, Ciceronem legiſſe;

cùm

cùm concinnius multò ſit, vt, dum Poeta non ex alto, ſed ἀφ᾽ὑψηλοῦ τείχεος ſpeciatim dixerit, locum, in quem ceciderit, ſpeciali etiam nominatione deſignauerit. Hanc lectionem ſecutus eſt Ioachimus, qui ita Callimachi Epigramma in Latinum tranſtulit; Ioach. apud Obſopæu.

Phœbe vale, Ambraciota Cleombrotus ante loquutus,
In mare de ſummis mœnibus inſiluit;
Morte nihil dignum paſſus; ſoloq; Platonis
Lecto Animæ æternæ de ratione Libro.

Hinc ad ſymbolum deflexit elegantis Vir ingenij Achilles Bochius; & ſub figura Cleombroti, ex alto cadentis, manibuſquè Librum tenentis, mare ſubiecit: illud addens Epigramma; quod fortaſſe decet & hìc recenſere: Achil Boch. in Symb. 15. pag. 31.

Ambraciota mari ſitus ille Cleombrotus alto eſt,
Alto qui potuit temnere mortem animo:
Namq; vbi melliflui legit diuina Platonis
Scripta, & ſi aduerſi tũ nihil acciderat;
Præcipitem è muro dedit huc ſe, vt fluctibus iſtis
Curarum fluctus obrueret varios.
Felix ò pelagus titulo hoc; felicia & oſſa:
Quo tumulo poterant nobiliore tegi?

Benè

Benè ſit Bochio, qui, vt Cleombroti imaginem exiberet, prolixa barba hominem depingendum curauit. An non ridiculè noſter Gauricus, qui ſuperius Callimachi Epigramma Latinum fecit, inquiens?

Vita vale, muro præceps delatus ab alto,
Dixiſti moriens, Ambraciota puer.

Plat in Phædon. Sanè miror, cur Vir, Gallorũ doctiſſimus, Turnebus, Præfatione in Phœdonem Platonis; & idemmet Bochius, contra propriæ picturæ fidẽ, ita proferre non ſint indignati.

Equidem non eſt cur dubitem, hunc eſſe Cleombrotum, quem inter Socratis Auditores dum Plato numerat, τί δέ, interrogat Echecrates Phœdonem de ijs, qui cum Socrate in carcere verſabantur, Ἀρίστιππος, καὶ Κλεόμβροτος παρεγένοντο; ΦΑΙΔ. οὐ δῆτα. ἐν Αἰγίνῃ γὰρ ἐλέγοντο εἶναι. *Quid? non aderant Ariſtippus, & Cleombrotus? Phœd. minimè; dicebantur enim in Aegina eſſe.* Diog. Laer. in Plat. Platonem taxat Laertius, & Ariſtippo infenſum fuiſſe ait, quòd Socrati morienti neget illum adfuiſſe, quamuis Aegina paruo ſpatio ab Athenis diſtaret. Hæc criminatio & Cleombrotum in pari cauſa neceſſariò complecteretur, qui eidem Ariſtippo abſenti coniungitur. Sed multa ſunt in Diogene

minùs

minùs probanda; inter quæ & iſtud mihi videtur: nam, ſi inter hos Philoſophos ſimultas aliqua interceſſiſſet, cùm liuor nihil ſanum proſpiciat, non vtiquè Cleombroto tàm ſuſcipiendus Platonicus iſte de Anima Liber. Eſt igitur, quòd Ariſtippus Platoni fuerit inuiſus; tamen dicta, quæ ſupra attulimus, nō inſimulationi, ſed Auctoris cuidam ingenuitati potiùs tribuenda. Quid ſi & ſe ipſum non magis excuſat, quàm accuſat, cùm laboraſſe tunc valetudine affirmet? Quo enim pacto Socratica effata, quæ ſub Phædonis perſona publicabat, abſens excipere potuiſſet? Et quamuis certo certius eſſet, illum plerumquè de Socratis, Gorgiæ, & aliorum Virorum ſermonibus mentiri; tamē è re ſua erat, eò omnia aſſerta dirigere, vt credibile appareret, Socratis eſſe, quæ Socrati tribuerentur; & non ſuo ſe iudicio reū facere: cùmquè in alijs Dialogis vix ſemel ſuum proferat nomen, & hìc vel ſilentio occulere, vel artificiosè obuelare ſatius fuiſſet.

Athenæus lib. 11. c. 150

Athenæus lib. 11. c. 148

Diog. Laer. in Plat

Igitur, poſt Socratem extinctum, Aeginæ, ſiuè alibi, Ariſtippo, & Cleombroto commorantibus, Plato Phœdonem edidit. At Cleombrotus in eius lectione totus hærens, flagranſquè alterius vitæ deſiderio, ſe ſe præcipitem daturū iactabat. Nec enim exiſti-

man

mandum eſt,illum,velut furijs actũ, illicò à prima lectione ad mortem properaſſe. Quãobrẽ Ariſtippus, Amico in tanto diſcrimine opem laturus,Vir ad omnia aptus, & Sophiſtam etiam profeſſus,*& quem*,vt ait Venuſinus noſter, *omnis decuit color*, *& ſtatus*, *& res*, paratam, promptamquè habuit orationem: qua argumentis, è Socratico fonte hauſtis, conatur illum in bonam mentem conuertere.

Epiſt. 17. lib. 1.

Sint modò, qui prolixum aliquod, confictumquè, vt fieri ab Hiſtoricis ſolet,alloquiũ hanc reputent orationem; ſint qui Rhetoricum dicant progymnaſma :vitio mihi verti non debet,ſi ex ea hanc Diſſertationem ſiuè ornatam,ſiuè locupletiorem effecerim.

ARISTIPPI CYRENAEI, SOCRATIS AVDITORIS, PROTREPTICOS, AD CLEOMBROTVM AMBRACIOTAM.

Ex ſotionis & Panætij teſtimonijs inter Ariſtipæa Volumina τὸ προτρέπτικον recenſetur. Vide *Laertius* in eius Vita.

QVoniam te iampridem in ea eſſe deliberatione rumor attulit, vt, diuinæ Philoſophiæ admonitu, ex huius vitæ ergaſtulis,non diſceſſum,ſed fugam cogites, indicato etiam,quo abitionis genere illam audeas maturare; magna profectò me inceſſit admiratio: nam tecum eodem lacte nutri-

nutritus, eiſdem educatus alimentis, non in idem virilis animi robur euaſiſſe me ſentio, vt ſpondere id poſſim, quod iam te executurum audio. An me Priuignum habet, quæ te vti Filium complexa, repoſitos theſauros, & peregrinos fundos, quos nouercalis æmulatio mihi inuidet, tibi vni prælegat; atque adeò in eorum certam poſſeſſionem, quò minùs hæc noſtra cures, te properanter amandat?

Quid eſt, Cleombrote, cur vitam deſeras? quęnam tibi noua ſpes immortalitatis affulſit; & ad Sapientiæ connubium, exuto corporis indumento, deſideratiſsimas nuptias promittit? Vide, quæſo, ne id tibi eueniat, quod amatoribus cõtingere ſolet; qui, cũ in nobiliũ Matronarum, quas impotenter cupiunt, cuſtoditas aulas ſe irrepere credunt, opinione fruſtrati, nedum ſibi ipſis ludibrium, ſed vitæ periculum creant; & multoties, quos coniugiorum pararios exiſtimabant, hos ſubdolos ſicarios, aliorum iniuriæ vindices, experiuntur. Mortem captas; & talem ſuſcipis expeditionem, qualem ſi fugitiuam feram venari, & reluctantem catenis vincire debeas; cùm tamen, non niſi in illius prædam, morticinam circumferamus humanitatem, & Mors ipſa, venatrix impigra; vel fugacem proſequatur

virum,& parcat nemini. Fruſtra igitur, quæ mox aderit,accerſitur: & vano labore, quæ ſemper nos à tergo comitatur, inquiritur. Non eſt, nõ eſt hominũ quiſpiã,qui in huius vitæ ſtadio, mortalitatis cursũ diù, noctuq; nõ agitet,& ad metas non debeat quãtociùs peruenire: nec,ſi adoleſcentibus pueri,iuuenes ſenibus celeriùs Lampadem tradant; aliqua eſt in præcurſu victoria; nec violentæ feſtinationis præmium captatur: cùm deficere iſtud ſit, nequaquam vincere.

Subeat igitur mentem, vt altiùs rem examinem, quod nouis argumentis ſtabilire apud nos ampliùs non eſt opus;animam noſtram,diuina productione nobilem, tamdiù beatum Cæli domicilium incoluiſſe, quamdiù,Numinis prouidentia,aſtrorum diſpenſatione præſignati ſibi temporis, vt huc deſcenderet, ſenſijt aduenisſe neceſsitatem. Quòd ſi ſpem eò remigrandi Philoſophiæ ſtudium bonis aperiat, cùm Cælum ipſum menſuram temporis agnoſcamus, nec aliqua fieri in natura, quæ non pariter in tempore fiant; iam ex cauſarum vi,atque ordine, vt proficiſcendi indicium expectemus, diuina rerum ſeries exigit: &, quemadmodum in Superùm ſedibus non fuit animæ indultum, vt quæ corpoream caliginem, & huius

huius inferioris mundi exilium auerſaretur, vel modicùm moram nectere, & deſcenſum procraſtinari; ita nec, vt eò recipi poſſit, æuum ſollicitare par eſt. Quinimò, ſi tenebricoſi huius incolatus vna omnium communis, & altera philoſophorum hominum, peculiaris ſit ratio; vtramque ſi animo attendas, vtraque te à propoſito abſterrere debet. Quid mortalium ſorte dolemus, quod ſcilicet membrorum nexibus, velut in carceris cuſtodia, animus coarctetur? quid Philoſophi iactamus conditionem; quaſi magnis in ludis ſolùm ipſe ſpectatum adueniat? illud enim nec nos liberos eſſe, & ab eo, cuius ſumus poſſeſsio, ſumus autẽ Deorum, ſolutionem à vinculis, & abeundi permiſſionem expectare nos admonet: in his verò, & qui ſpectant, & qui alijs ſunt ſpectaculo, contra Agonothetæ imperium venire nequeunt; ludum enim de nobis Dij faciunt; & cùm quiſpiam bonam operam ſuã nauare debeat, antequàm demiſſum fuerit certamen, illis inuitis, minimè fas erit diſcedere. Qua in re, & ſi Præceptoris doctrinam obliuiſci malumus; quod tamen exemplo perdocuit, vt noſtra ab memoria nunquam deleri poterit, ita ſemper imitatione erit proſequendum. Igitur Socrates, Philo-

loſophi partes à Dijs ſibi demandatas agnoſcens, vt theatrales homines ambitione ſcientiæ confidenter inflatos, ignorantiæ reos perageret; in huiuſmodi inſtituto ad mortem vſque conſtanter perſeueraſſe viſus eſt.

